Badische Landesbibliothek Karlsruhe

Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe

Cursus studiorum monasticorum, sive series sublimium disciplinarium - Cod. Ettenheim-Münster 99-110

Thelogica universa - Ettenheim-Münster 107 - Tom. I

Cartier, Gallus

[S.l.], 1745

Caput quintum

urn:nbn:de:bsz:31-111007

Visual Library

jus adhuc in bona filiorum acquisiverant. 337.

Ob. 6to S. Augustinus Tract. 4. in 355.
Joan. videtur reponere in Ecclesiâ Catechumenos: futuri erant, inquit, aliqui in Ecclesiâ excelsioris gratiæ Catechumeni. Ergò.

Resp. Dist. textum. futuri erant in Ecclesiâ improprè, in potentiâ et votô, conc. proprè et actu, quasi fuerint propria et vera Ecclesiæ membra, neg. ~~tam~~ Ita S. Augustinus lib. 2. de Symb. ad Catechumenos c. 10. et Tract. 12. in Joan. et eo ipso loco, unde desumpta est hæc objectio, loquitur de Catechumenis, qui meliores se alijs arbitrantes, dedignabantur venire ad Baptismum. At certum est, ejusmodi Catechumenos proprè non esse in Ecclesiâ; sed tantùm hoc sensu, quòd, cùm nomen suum dederint, ut ejus albo inscriberentur, censebantur in votô ad eam utunque pertinere.

Caput Quintum 356.
De Visibili Ecclesiæ Capite Romano scilicet Pontifice.

Christum esse Caput essentiale ac invisibile Ecclesiæ jam initiò præsentis Tractatûs adnotavimus. De Capite ergo Ecclesiæ hic agturi, illud duntaxat intelligimus, quod est ministeriale, visibile, et externum, Romanum nempe Pontificem, per excellentiam ita nuncupatum, propter primatum honoris et jurisdictionis, quem super omnes Episcopos et fideles in Ecclesiâ tenet. De eo ergo hic quatuor nobis veniunt inquirenda. 1.o an S. Petrus primatum supra cæteros

gva

H

338. Apostolos à Christo acceperit. 2.º An Romanus Pontifex primatûs prerogativâ jure divinô in Ecclesiâ fruatur. 3.tio An in causis fidei et morum definiendis errare possit. 4.to An auctoritatem et potestatem aliquam in res temporales Principum habeat; quæ singulis paragraphis expediemus. Sit ergo

§. Primus.

357. An S. Petrus Primatum non tantùm honoris et dignitatis, sed etiam potestatis et jurisdictionis acceperit à Christô Dominô.

Hæc quæstio iis præludere videtur, quæ postmodum de auctoritate et præeminentiâ Romani Episcopi supra cæteros Antistites et fideles dicuturi sumus. Cùm enim Romanus Pontifex aliam non habere possit auctoritatem, quàm quæ ipsimet S. Petro, cujus successor esse dignoscitur, à Christô concessa fuit super alios Apostolos; ~~et~~ cetè, si S. Petrus æqualis fuit in omnibus cum cæteris Apostolis, nulla consequenter supra Episcopos, qui Apostolorum cæterorum sunt successores, Romano Pontifici auctoritas erit tribuenda.

Hinc Novatores nostri, ne quidpiam auctoritatis Romano Pontifici tribuere videantur, ipsorum Antecessoris S. Petri super cæteros Apostolos primatum, et auctoritatem etiamnum impugnare audent. Contra quos proinde sit

Conclusio.

358. S. Petrus primatum accepit à Christo supra alios Apostolos.

Pb. Conclusio 1.º ex S. Scripturâ.

Matth. 16. v. 18. etrg. Christus S. Petrum

hisce alloquitur: Tu es Petrus, et super hanc Petram ædificabo Ecclesiam meam ..... Et tibi dabo claves Regni Cœlorum: et quodcunque ligaveris super terram erit ligatum et in cœlis ꝓ. Ex quibus sic conficitur argumentum: Ille primatum obtinuit à Christô, super quem Christus suam Ecclesiam ædificat, et cui claves Regni Cœlorum promittit, necnon ligandi et solvendi auctoritatem. Atqui Christus super Petrum suam Ecclesiam ædificat ꝓꝓ. Ergo ꝓ.

Maj. patet ex eo, quod petra fundamentalis hoc proprium sit, ut totum ædificium regat et sustentet; Ergo quem Christus constituit fundamentum Ecclesiæ suæ, illi etiam eamdem regendi auctoritatem tribuit, adeoque primatum. Neque aliter id exponunt SS. Patres suô loco à nobis adducendi. Imò idipsum Christus apertè innuit per subsequentia verba hæc: Et tibi dabo claves Regni Cœlorum ꝓ. quibus utique primatum et præeminentiam supra cæteros fideles, adeoque et ~~Apos~~ Apostolos designavit.

Min. pb. 1º Quia de propria Petri personâ hæc intelligenda sunt: nam 1º id ipsum innuit ipse litteralis textus.

2º Quia Christus auditâ, quam fecerat Petrus, divinitatis suæ confessione, in præmium hujusce confessionis singulare aliquod privilegium ipsi indulget; quodnam verò illud? nempe prærogativa primatûs supra cæteros Apostolos his verbis expressa, super hanc petram ædificabo ꝓ.

3º Quia clarum est, pronomen demonstrativum hanc positum esse loco

340. relativi quam; perinde ac si Christus dixisset, Tu es petra, super quam ædificabo Ecclesiam meam. 4to Quia ex ipsis verbis consequentibus: Et tibi dabo claves regni cœlorum p. patet, verba ista ad Petrum pertinere; absurdum quippe foret, tam paucis verbis rerum ac personarum mutationem fieri. Et hanc esse mentem SS: Patrum suo loco demonstrabimus.

2do ~~[illegible]~~ ex Joan. c. 21. v. 15. 16. et 17. ubi Christus Petrum alloquens, ter quæsivit ab ido: Petre amas me? terque ipsi oves commendavit his verbis: Pasce oves meas. Nemo sane mentis non facilè deprehendet, quòd hic Dominus Petrum speciali quadam ratione Ecclesiæ suæ Pastorem constituerit, ipsique suarum ovium, id est, totius Ecclesiæ curam demandando, totam Ecclesiam commiserit. Id profectò agnovit tota retrò antiquitas, prout mox ostendemus.

3tio Ex c. 22. Luc. v. 32. Ubi, Ego rogavi pro te Petre, inquit Christus, ut non deficiat fides tua, et tu aliquando conversus confirma fratres tuos.

Duas hic textus includit prærogativas S. Petro præ cæteris Apostolis à Dominò concessas. 1a Quòd Christus dicat, se rogasse, ut non deficeret fides illius; cùm enim jam destinatus esset fundamentum, Pastor, Caputque Ecclesiæ, magis pro ido curandum erat, quia illius error et casus in doctrinâ fidei omnium error et casus foret; nec primo errante Pastore alius esset major, qui illum corrigeret. Orat igitur Christus specialiter pro Petro,

ut cæteris Apostolis à Sathanâ expetitis, prout loquitur textus, ipsius non deficiat fides, quòd ab isto magis, quàm ab aliis Apostolis Ecclesia et Religio penderet.

Secunda prærogativa illis verbis continetur, ut Petrus suos fratres, id est fideles omnes in fide confirmet, ac conservet. Confirmare autem ad eum præcipuè pertinet, qui majoris est auctoritatis, et potestatis, ut patet in confirmationibus omnium electionum, alienationum, Testamentorum &c. Et ita hunc textum intellexerunt SS. Patres, prout statim exponemus.

4.to Ex prærogativis S. Petri, quas commemorat S. Scriptura. Vix enim Salvator cælos ascenderat, cùm statim in collegiô Apostolorum primatum suum exercet, ubi cùm proposuisset, supplendum esse in dictô Collegiô infelicis Judæ locum, universus coetus ei detulit, act. 1.

Post Spiritûs Sancti descensionem ubique Petrum cæteris Apostolis prælatum videmus, omnes ei cum silentio assultant. act. c. 2. Ipse claudum ad portam Templi sanat, atque hujus miraculi populo, qui illuc convenerat, rationem reddit. Solus Judæos in die Pentecostes alloquitur, scelusque exprobrat, quod Christum crucifigendo contraxerant, atque, ut in eum credant, hortatur. Ipse solus cum S. Joanne audacter Principibus Sacerdotum et Magistratibus respondet, c. 4. Ipse solus præclara patrat miracula, quippe de ipso solo refertur, quod umbra eius varios morbos curaverit. Ipse solus Judaïcam Ecclesiam, id est, primos fideles regit, Ananiamque

342. et Saphiram, ob commissam fraudem, morte damnat, c. 5. Ipse solus ad prædicandum Gentibus Evangelium primùm destinatur, c. 10. et 11. Ipse solus in Conciliò Jerosolymitanò sententiam pronuntiat, necnon auctor est Decreti de Legalium abrogatione, c. 15. Et cùm in carcere detinetur, Universa Ecclesia pro ipsius liberatione ad Deum preces fundere non desistit. Ipse denique, ubi ab Evangelistis numerantur Apostoli, non modò primus collocatur, sed etiam esse primus dicitur. Matth. 20. v. 2. Marci 3. v. 16. Luc. 6. v. 14.

2. 152

359. Lib. 2do Conclusio ex SS. Patribus.

Ex Græcis. Origenes hom. 2. de diversis, appellat S. Petrum Summum Apostolorum verticem. Et in c. 6. Ep. ad Rom. Petro, inquit, cum Summa rerum de pascendis ovibus traderetur, et Super ipsum velut super petram, fundaretur Ecclesia p.

Eusebius lib. 2. Hist. c. 14. vocat Petrum fortissimum, et maximum inter Apostolos, et virtutis merito reliquorum omnium Principem, et Patronum.

S. Cyrillus Hierosolymitanus Catheces. 2. et 11. Petrum appellat, Apostolorum Principem ac Supremum.

S. Basilius Proëmio de Judicio Dei, Beatus ille Petrus, inquit, omnibus Discipulis prælatus, cui soli majora data quàm aliis sunt testimonia, qui prædicatus est Beatus, cui claves regni cœlorum concreditæ sunt.

S. Gregorius Nazianzenus orat 26. vides, inquit, quemadmodum ex Christi Discipulis

magnis utique omnibus et excelsis, atque electione dignis, hic petra vocetur, atque Ecclesiæ fundamenta in fidem suam accipiat &c.

S. Epiphanius hæres. 51. Petrum, inquit, elegit, ut Dux esset Discipulorum. Et in Anchoratô, Hic est, ait, qui audivit Pasce agnos meos, cui creditum est ovile.

S. Cyrillus Alexandrinus lib. 12. in Joan. Præ aliis, inquit, emicat ille cæterorum caput et Princeps, et ait tu es Christus filius Dei vivi.

Petrus Chrysologus in Ep. ad Eutychetem, Hortamur te, inquit, frater honorabilis, ut his, quæ à Beatissimo Papa Romanæ civitatis scripta sunt, obedienter attendas, quia Beatus Petrus, qui in propria Sede vivit, et præsidet, præstat quærentibus fidei veritatem.

S. Chrysostomus Hom. 55. in Matth. Ecclesiæ Pastor et Caput, inquit, est homo piscator et ignobilis. Et infra, Jeremiam, ait, uni genti Pater, hunc autem Universo terrarum orbi Christus præposuit.

Item Orat. 8. adversùs Judæos, Petrus, inquit, adeò abluit illam negationem, ut etiam primus Apostolorum fuerit factus. Et Hom. 3. in Act. Apost. appellat Petrum Chori Apostolici Principem, qui ubique primus omnium incipit loqui.

Denique Hom. 87. in Joan. vocat Petrum os, Principem, et verticem Apostolorum. et Hom. ult. aliquoties repetit, Petro fratrum, idest, Apostolorum, curam demandatam esse, et orbem totum demandatum.

Priùs, Hom. scilicet 83. in Joan. ita disseruerat: Non dixit, non negabis, sed ut non deficiat fides tua, curâ enim ipsius

et favore factum est, ne omninò Petri Sedes evanesceret.

Euthymius in c. ult. Joan. bis repetit, Petrum accepisse præsidentiam super Discipulos, atque totius Orbis ~~Magistratum~~ Magistrum esse constitutum.

Theophilactus in c. 22. Luc. in illud, Confirma fratres tuos, Clarus, inquit, hujus intellectus ~~est~~ is est; quia te habeo ut Principem Discipulorum, postquam negatò me fleveris, et ad pœnitentiam veneris, confirma cæteros; hoc enim decet te, qui post me Ecclesiæ petra es et fundamentum; et quamvis brevi tempore concutiendus sis, habes recondita semina fidei, etiamsi folia abjecerit Spiritus invadentis, radix tamen vivet, et non deficiet fides tua.

Hugo Ethherianus, qui quamvis Latinus fuerit, græcè tamen scripsit, et in aulâ Emanuelis Imperatoris fuit circa an. 1160. lib. 3. c. 7. de Processione Spiritûs Sancti, De ipsa, inquit rei evidentiâ liquidò apparet, quod Petrum, ejusque Successorem Christus Principem et Caput non modò Latinorum et Græcorum, Occidentis, et Septentrionis Universi, verùm etiam Armenorum, Arabum, Judæorum, Madianitarum, et totius Orientis, et Meridiani climatis in perpetuum constituit.

Beatus Theodorus Studites Ep. ad Paschalem Papam, Audi, inquit, Apostolicum Caput, Pastor omnium Christi fidelium à Deo electe, claviger Regni cælorum, petra fidei, super quam ædificata est Ecclesia Catholica; hæc adest ab occidente, tibi namque dixit Christus

3.153

Deus noster; tu aliquando conversus confirma fratres tuos.

Ex Latinis Patribus. Tertullianus lib. de præscript. c. 22. Latuit ergo, inquit, aliquid Petrum ædificanda Ecclesia petram dictum, claves regni Cœlorum consecutum? Et in Scorpiaco c. 10. Si adhuc putas clausum cœlum, ait, memento claves ejus Dominum Petro, et per eum Ecclesiæ reliquisse.

S. Cyprianus Ep. 55. Petrus, inquit, super quem ædificata fuerat Ecclesia unus pro omnibus loquens, et Ecclesiæ nomine respondens &c. Idem habet Ep. 71., ubi ait, Petrum primatum tenuisse inter Apostolos.

S. Optatus lib. 2. cont. Parmenion. Igitur, inquit, negare non potes, scire te, in urbe Româ Petro primò cathedram Episcopalem esse collocatam, in qua sederit omnium Apostolorum Caput Petrus.

S. Ambrosius in cap. ult. Luc. Unus solus, inquit, profitetur /: Divinitatem Christi :/ omnibus antefertur. Et in c. 12. Ep. 2. ad Cor. Primatum, ait, non accepit Andreas, sed Petrus.

S. Augustinus lib. 2. de Bapt. c. 1. In quo, inquit, Petrô, primatus Apostolorum tam excellenti gratiâ præeminet. Et serm. 13. de Verbis Domini, nunc 76. dicit, Petrum in Apostolorum ordine primum esse, Ecclesiæ unicæ typum, et unum respondisse pro omnibus. Idem ~~ergo~~ ergo Petrus, addit, à petra cognominatus Beatus Ecclesiæ figuram por-

346. tans, Apostolatûs Principatum tenens.

S. Leo Serm. 3. de Assumptione suâ ad Pontificatum, De toto, inquit, mundo unus Petrus elegitur, qui et universarum gentium vocationi, et omnibus Apostolis, cunctisque Ecclesiæ Patribus præponatur: ut quamvis in populo Dei sint multi Sacerdotes, omnes tamen propriè regat Petrus, quos principaliter regit et Christus. Item, Specialis cura Petri à Domino suscipitur, et pro fide Petri propriè supplicatur, tanquam aliorum status certior sit futurus, si mens Petri victa non fuerit. In Petro ergo omnium fortitudo munitur, et divina gratia ita ordinatur auxilium, ut firmitas, quæ per Christum Petro tribuitur, per Petrum cæteris Apostolis conferatur.

Ex his et pluribus aliis SS. Patrum testimoniis, quæ brevitatis gratiâ prætermittimus, igitur patet S. Petrum non tantùm honoris et dignitatis, sed etiam potestatis et jurisdictionis primatum acceperit à Christo Domino.

Solvuntur Objectiones.

360 Ob. 1o Multi SS. Patres aliter hunc Scripturæ Tues Petrus p. exposuerunt, quàm nos interpretemur. 1o S. Hilarius quandoque asserit hanc petram, super quam Christus Ecclesiam suam fundavit, esse confessionem divinitatis Christi à Petro factam. 2do S. Augustinus lib. 1. Retract. c. 21. ait, per petram intelligi debere Christum ipsum. 3tio Antè illos Origenes Tract. 1. in Matth. per petram omnes fideles intelligi oportere docuit; id quod deduitur ex eo, quòd Christus non dixerit super hunc Petrum, sed super

4. 154

hanc petram p. 4.to Alii docent per petram intelligi omnes Apostolos, eorumque Successores, quippe super quos Christus fundavit Ecclesiam suam; quo sensu dicit Apostolus Ephes. 2. Superaedificati super fundamentum Apostolorum p. Ergo perperam ex hoc textu Tu es Petrus p. probare conamur Primatum Petri p.

Resp. neg. cons. Adduti Patres ita sensus hos textui isti tribuerunt, ut eum, quem nos eidem cum omnibus planè Patribus tribuimus, non excludant, quin ipsimet eadem ratione, ~~quam~~ ac nos, prout modò vidimus, pro rerum scilicet, temporum, et personarum circumstantiis illum interpretantur. Et ut ad singula respondeamus.

Ad 1.mum Interpretatio S. Hilarii, procul ut nostrum sensum excludat, eum omninò confirmat: nam confessio à Petro facta ipsemet est Petrus, quatenus illam confessionem edidit.

Ad 2.dum Cùm S. Augustinus petram ipsum Christum interpretatur, quem Petrus confessus est; sanè non intelligit, Christum simpliciter et in se spectatum esse illam petram, sed quatenus eum confessus est Petrus, seu esse ipsum Petrum, quatenus confessus est Christi divinitatem. * Fortè S. Augustinus lingua hebraïca ignarus arbitratus est Cephas non significare petram, sed aliquid à petrâ derivatum; unde existimavit per illam petram non intelligi Petrum, sed Christum. Sed hoc non satis convenit cum textu S. Augustini supra adduti, quo ait Petrum à petra cognominatum fuisse,

* Bellarminus lib. 1. de Rom. Pontif. c. 10.

348. et unde idius supra cæteros Apostolos primatum probat, et tuetur.

Ad 3tium Origenes locum hunc cit. loc. exponit allegoriè, quem litteraliter exponit hom. 5. in Exod. de Petro: Vide, inquit ibidem, magno illi Ecclesiæ fundamento et petræ solidissimæ, supra quam Christus fundavit Ecclesiam, quod dicatur à Dominô: modicæ fidei, quare dubitasti? Et sanè ad litteram non posse hunc locum intelligi de omnibus fidelibus, patet ex eo, quòd Dominus, ut de solo Petrô se loqui indicaret, descripsit idum multis modis; vocavit enim eum Simonem nomen, quod illi à parentibus erat inditum, addidit nomen patris, vocans eum filium Jonæ, ut distingueret eum à Simone fratre Thadæi; addidit etiam nomen Petri seu Cephæ, quod ipse illi imposuit; usus est præterea pronominibus certam personam designantibus, dicens: Ego dico tibi, quia tu es Petrus p.

Quòd autem Dominus non dixerit super hunc Petrum, sed super hanc petram, ratio est, quia Syriacè loquebatur, in qua lingua non est ea generis differentia, quæ in latina reperitur, sed Cephas et Petrum et Petram significat; dixit ergo Dominus tu es Cephas, et super hoc Cephas p. idest, tu es Petra et super hanc Petram p. Id autem hoc modô non vertit Latinus Interpres, quod græcum codicem sit secutus, qui non habet πετρα*, ~~Pet~~ sed πετρος*; cumque apud Græcos utrumque Petra et Petros

* Petra * Petrus.

7-157

Petram significet, Græco Interpreti com- 349.
modiùs visum est, Domini nomen mas-
culinum, quàm fœmininum tribuere.

Ad 4tum Verum est, quòd Chris-
tus Ecclesiam suam supra cæteros Apos-
tolos etiam fundaverit; at nihil obstat,
quò minùs unus Petrus aliò sensu præ-
cipuè sit firmissima petra, super quam
Christus Ecclesiam suam ædificavit. Ce-
teri ergo Apostoli fuerunt fundamenta
Ecclesiæ 1.o quia ipsi Ecclesias primi-
tùs ubique terrarum fundaverunt.
2.o Quia Doctrinam, quam tradiderunt,
primi à Dominò acceperunt, in qua
Doctrinâ quiesit Ecclesia. 3tio
Quia fuerunt Capita, Rectores, et Pasto-
res Ecclesiæ universæ, ita tamen, ut Pe-
trus esset eorum Caput, et ab illo pen-
derent. Licèt super omnes Apostolos ex æquò Ecclesiæ fortitudo solidetur,
inquit S. Hieronymus*, tamen propterea
inter duodecim unus eligitur, ut capite
constitutò Schismatis tolleretur occasio.

* lib. 1. cont Jovinian.

Ob. 2do Etiam reliquis Apostolis 361.
Christus claves Regni Cœlorum tradidit.
Ergo ex hoc textu non potest inferri pri-
matus Petri p.

Resp. Cæteros quidem Apostolos eti-
am claves accepisse à Christò, sed cum
quadam subordinatione ad Petrum
illorum Caput. Illi enim excellentiori
quadam ratione tradita fuerunt, qui
Ecclesiæ figuram gerebat, ac primum
inter Apostolos locum occupabat, et cui
soli dictum est, Pasce oves meas, atque
fratrum suorum cura demandata est.

350. Ob. 3tio Christus semper rejecit, et
362. improbavit primatum, de quo Discipuli
ejus inter se aliquando ambitiosius con-
tendebant, Luc. 9. v. 48. Marc. 9. v. 34. et
c. 10. v. 43. Ergo nec in Petro admitten-
dus videtur.

Resp. Huic objectioni nos jam satis-
fecisse supra cap. 3. §. 3. ubi Gallicanos
Theologos adversus Monarchicum Papæ re-
gimen hac ipsa Scripturæ loca allegan-
~~tibus~~ tes explosimus. Citatis verbis
Christus à suis rejicit primatum, qui
sit cum ambitione, fastuque, qui ma-
gis sit ad terrorem, quàm ædificationem;
verbo cum primatum damnat, et à suis
abesse vult, qui à gentibus exercebatur,
et quem Discipuli ipsius à rerum terre-
narum affectu nondum planè liberi,
et nondum Spiritu Sanctô repleti ambie-
bant.

363. Ob. 4to Scriptura videtur in-
nuere S. Paulum S. Petro in omnibus,
atque etiam in primatu fuisse æqualem.
Nam 1o ipse Paulus Galat. 2. v. 7. Decla-
rat, sibi à Christô commissum fuisse
Evangelium præputii, sicut Petro Evan-
gelium Circumcisionis. 2do 2. Cor.
11. v. 28. dicit, se gerere curam omnium
Ecclesiarum. 3tio ibid. c. 12. v. 11.
Nihil minus, inquit, fui ab iis, qui sunt
supra modum Apostoli. Se ipsum ergo
æqualem Petro et cæteris Apostolis decla-
rat. 4to Galat. 2. v. 11. dicit, se in
faciem restitisse Petro, quia, inquit,

erat reprehensibilis. Atqui hoc Supe- 351.
riorem quamdam autoritatem, ne-
dum æqualitatem arguit. Ergo &c.

Resp. Neg. propositionem. Ad
textus dicimus, ad 1mum non plus
illo evinci, quàm quòd, cùm Aposto-
lis à Christo potestas prædicandi per totum
orbem Evangelium tradita fuerit, nec
quilibet eorum mundum universum pera-
grare posset, singulis sorte varias mundi
plagas percurrere, et ad Christum converte-
re obvenerit. Non ergo hæc divisio jurisdi-
tionis fuit, sed sortis tantùm, quæ primatui
Petri nihil officit.

Ad 2dum rectè ait S. Paulus, in-
cumbere sibi solicitudinem omnium Eccle-
siarum; omnes enim Apostoli amplis-
simam à Dominô acceperant ubique terra-
rum regendi Ecclesias autoritatem, at cum
quadam ad S. Petrum, tanquam Collegii Apo-
stolici Caput subordinatione, quâ Ecclesiæ
servaretur unitas, neenon cum hoc discri-
mine, quòd Autoritas Apostolica Petri
ad Successores suos transmissa sit, non item
cæterorum Apostolorum autoritas.

Ad 3tium Quia Pseudo-Apostoli
negabant æqualem esse Paulum cæteris
Apostolis, qui cum Christo fuerant in carne
conversati, atque hinc ministerii ipsius
dignitatem infirmare conabantur, ne-
cesse fuit, ut idem Apostolus se ipsum
commendaret: et quamvis plus omni-
bus laboraßet, satis tamen esse existi-
mat, si se aliis inferiorem non esse ostendat.
Igitur non fuit inferior Petrô quantum
ad labores Apostolicos, Zelum, Dona, mi-

352 raula, ipsum munus Apostolicum; at de primatu non loquitur.

Ad 4tum Paulus reprehendit Petrum ex charitate, studio veritatis, et Zelo religionis; non ex superiori quadam autoritate, aut imperio. Alterius enim vitia reprehendere, adversus illa declamare, et, si vergant in communem perniciem, illis etiam resistere, nullam superiorem autoritatem, vel imperium arguit, ut patet, et docent ex instituto SS. Patres. S. Gregorius Cap. Petrus 2. q. 7. et Hom. 18. in Ezech. Cyprianus Ep. ad Quintum. Augustinus Ep. 84. alias 19. ad Hieronymum. et in Ep. ad galat. c. 2. S. Thomas in 4. Sent. Dist. 19.

Unde sequitur 1o maximum fuisse humilitatis ac modestiae Christiana sensum in Principe omnium Apostolorum, qui ab inferiore corrigi se passus est, ut ait S. Cyprianus Ep. 75. ad Quintum. 2o. Primatum in Petro nullum superbiae fastum habuisse. 3tio Apostolorum Principem istum, et si Caput et Pastor Ecclesiae esset, culpae tamen, non quidem Doctrinae, sed conversationis Duntaxat, adeoque et correctioni fuisse obnoxium. 4to Sancto ejusdem libertatis charitate posse ab inferiori Superiorem aliquando redargui, ita Augustinus cit. Ep. n. 22.

364. Ob. 5to Petrus Act. 8. v. 14. jubetur ire in Samariam, et ab Apostolis eò mittitur: at imperare et mittere Superioris est. Ergo p.

Q. iii. 1569

2do. Cùm accusatur, quòd ad gentes ingressus fuerit, etiam si id meritò et bonâ fecerit, tamen respondet et rationem facti sui reddit. Sed qui tenetur rationem factorum suorum reddere, subjectus est, nec suprematam proinde habet auctoritatem. Ergo p.

3tio Scribens primam suam Epistolam ad Ecclesiæ Pastores, non mandat aut jubet ex imperiò quasi superior, sed eos alloquitur tanquam collegas et Episcopos sibi æquales.

Resp. ad 1mum Non omnis missio est signum subjectionis et inferioris ordinis: nam in Collegiò SS. Trinitatis, ubi omnes tres personæ æquales sunt, pariséque Majestatis, Filius à Patre mittitur, Joan. 3. v. 17. et c. 4. v. 34. et Spiritus Sanctus à Filiò, Joan. 14. v. 26. Herodes etiam mittit tres Reges, seu Magos orientis in Bethlehem, Matth. 2. Populus item Judæorum Josue c. 22. misit Phinees Sacerdotem ad filios Ruben et Gad, quamvis jure divinò toti populo præesset tanquam Summus Sacerdos.

Mittere ergo significat impulsum aliquem, quo alius movetur ad alicubi eundum, quod non tantùm præceptò, et imperiò, sed etiam rogatu, consiliò, adegatione rationum, et argumentorum quibus ad aliquid agendum alius movetur fieri potest. Igitur miserunt Apostoli Petrum Samariam consulendo, suadendo, rogando.

Ad 2dum Boni Pastoris officium postulat, sicut ipse S. Petrus docet, Ep. 1. c. 3. v. 15. <u>eum semper paratum esse ad Satisfactionem omni posenti rationem de eâ,</u>

354. quæ in ipso est, spe et fide cum omni modestiâ. Hinc S. Petri in hoc facto modestiam egregiè commendat S. Gregorius Mag. Epistolarum lib. ii. Indict. 4. Ep. 45. aliàs lib. 9. Ep. 39. additque, quòd, si in querelâ hac fidelium aliquid de suâ potestate dixisset Petrus, profectò Doctor mansuetudinis non fuisset.

Ad 3tium Eadem est responsio, quæ ad 2dum scilicet modum hunc scribendi suam Epistolam humilitatis et modestiæ ipsius monumentum præbere duntaxat, non verò subjectionis. Similem modestiam et humilitatem in suis Epistolis observant etiamnum Romani Pontifices, dum in illis se Servos Servorum Dei nuncupant; quod, prout alibi jam notavimus, primum à Gregorio Magno factum legitur.

365. Ob. 6to Jacobus videtur fuisse major ipso Petro, quia Christo successit in Episcopatu Urbis Jerusalem, quæ est Mater Omnium Ecclesiarum juxta idem Isai. c. 2. v. 3. De Sion exibit lex, et verbum Domini de Jerusalem. Ergo p.

Objectionem confirmat Clemens Romanus apud Eusebium lib. 2. hist. c. i. ubi ait: Post Servatoris ascensum, Petrum, Jacobum et Joannem, quamvis ab ipso omnibus fuerint prælati, non tamen primatus gloriam sibi vindicasse, sed Jacobum cognomine Justum Apostolorum Episcopum elegisse. Ergo p.

Resp. Neg. ant. Christus non fuit Episcopus ullius particularis Urbis, sed fuit, et est Pontifex totius Ecclesiæ; nec ullum habet in Episcopatu seu Pontificatu Successorem, cùm semper vivat. Jero-

Solymitana Ecclesia autem est quidem Ma- 355.
ter omnium Ecclesiarum antiquitate,
multis privilegiis insignis ob Domini, ejus-
que Discipulorum praesentiam, et praci-
puè ob mysteria nostræ Redemptionis
apud eam consumata; sed nunquam fuit
Mater ceterarum Ecclesiarum jurisdictio-
ne, prout patet ex Concilio Nicenô I. in
quo datus est Episcopo Jerosolymitano
quartus inter Patriarchas Orientis locus
duntaxat, et solummodò quantùm ad
honorariam Sessionem, ~~sed~~ nullus
autem, quantum ad veram jurisdictionem,
verùm subjectus mansit Episcopo Cæsare-
ensi totius Palestinæ Metropolitano.

Ad Confirmationem dicimus, hunc
Eusebii locum procul dubiò esse mendo-
sum: nam etiamsi in Basileensi codi-
ce verba mox adducta legantur; in co-
dice Coloniensi tamen non extat vox
Primatûs, neque vox Apostolorum, sed
benè legitur voc Jerosolymorum, sicut
etiam in quibusdam optimæ notæ codi-
cibus Eusebianis, quos Valesius vidit,
et contulit. Quibus Codicibus consonat
Nicephorus, qui lib. 2. c. 3. eundem Eu-
sebii locum sic refert: Petrus, et Jaco-
bus, et Joannes, quos Dominus præci-
puô dignatus fuerat honore, post Ascen-
sionem ejus gloriam non affectarunt, sed
Jacobum Justum Jerosolymorum Episco-
pum elegerunt. Qui certè locus sic ex-
purgatus nostræ conclusioni minimè no-
cet.

Ob. 7mo S. Cyprianus lib. de unit. Eccles, 366.
Hoc erant, inquit, utique cæteri Apostoli,
quod fuit Petrus, pari consortiô præditi et
honoris, et potestatis p. Ergo constit

356. S. Cyprianus, Apostolos fuisse æquales inter se ?

Resp. Hic S. Cyprianum censuisse Apostolos fuisse æquales in autoritate Apostolicâ internâ et essentiali, hoc est, in autoritate, quantùm ad rerum gerendarum amplitudinem, ad annuntiandum ubique Christum, ad Ecclesias fundandas, ad Sacramenta ministranda, Spiritum Sanctum dandam, et alia exercenda, quæ ad publicum Ecclesiæ regimen necessaria erant: non verò quantùm ad autoritatem extrinsecam et accidentalem, idest, quoad modum et ordinem autoritatis idius in actum redigendæ, seu quantùm ad Primatum; id enim vel in terminis implicat, inter multos enim si quis primatum tenet, et primus est, is unus est primus.

Agnovisse autem S. Cyprianum in Petro primatum, demonstrant loca, quæ supra ex ido adduximus. Imò ex hoc ipso locô, unde desumpta est objectio, Primatum idum in Petro agnovit; subjungit enim, Exordium ab unitate profiscsi, unitatem autem illam ab uno capite repeti. Dixerat in eodem de unitate librô, hæc Christi verba: Super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam, Pasce oves meas. ad Petrum referri. Dixerat Super unum Petrum ædificatam esse Ecclesiam. Dixerat, unam Cathedram esse constitutam, et originem unitatis ab uno descendere. Hæ omnia profectò demonstrant, S. Petrum primum fuisse inter Apostolos, licet æquales inter se fuerint quoad potestatem Apostolicam, quod unum voluit S. Cyprianus, ùm dixit, eos pari consortiô præditos fuisse honoris, et potestatis.

Inst. Ex S. Cypriano lib. cit. Episcopatus unus est, cujus pars à singulis in solidum tenetur. Atqui, ubi unus est Episcopatus, nullus certè potest esse inter Episcopos, à quibus ille singulis in solidum tenetur, prior, et major. Ergo &c. 357. 367.

Resp. Dist. min. Quoad ea, quæ sunt Episcopatui essentialia et intrinseca, nullus major est, et superior, conc. Quoad ea, quæ sunt Episcopatui accidentalia, Neg. min. Natura humana una est, et tenetur in solidum à singulis hominibus, uno enim homine superstite, esset in eo adhuc natura humana; ex quo fit, ut omnes homines pares sint, quantum ad ea, quæ sunt naturæ humanæ essentialia, non verò quantum ad accidentalia. Similiter in Episcopatu, quæ ipsi sunt essentialia ad omnes et singulos Episcopos pertinent; quæ verò ei sunt accidentalia, ut primatus auctoritas, ad unum præ cæteris pertinent, ad eum nempe, quem Dominus elegit, ut cæteris præesset.

Dicitur autem à S. Cypriano Episcopatus unus, quia unitas Ecclesiastica à S. Petro, ejusque Successoribus derivatur, quomodò radii à Sole, rami ab arbore, rivi à fonte, quibus similitudinibus ibidem utitur S. Cyprianus. Sic etiam unus est Episcopatus, ita tamen, ut unitatis ipsius origo, radix, et centrum sit S. Petrus.

Ob. 8vo S. Ambrosius lib. 2. de Spiritu Sanctò cap. ult. ait: Cantum modi Apostolorum esse secundum, nec ipso Petrò inferiorem. Et lib. de Incarnat. c. 4. de S. Petro hæc habet: Hic ubi audivit, vos autem quem me esse dicitis? Statim loci non immemor sui, primatum 368.

358. agit: primatum confessionis utique, non honoris; primatum fidei, non ordinis.
Denique Serm. 12. qui est 3tius de Natali SS. Petri et Pauli, ait, Incertum esse, quis cui inter hos binos Apostolos praeponatur. Ergo &c.

Resp. ad 1num Paulum non esse inferiorem Petro in auctoritate Apostolatus interna et essentiali; tam benè enim erat Apostolus à Deo constitutus, quàm Petrus; at inde non sequitur, Paulum Petro inferiorem non fuisse in auctoritate extrinsecâ, et accidentali, ut primùm exposuimus; et hanc fuisse mentem S. Ambrosii librum citatum legenti patebit.

Ad 2dum fatemur, existimasse Ambrosium, S. Petrum, cùm Christo interroganti respondit, tunc nondum gessisse primatum honoris, et ordinis, sed confessionis duntaxat et fidei, quia nempè nondum idem primatum honoris et ordinis acceperat, quem primùm post hanc confessionem accepit per hæc Christi verba: Et super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam; unde subjungit ibidem S. Ambrosius, Hic est ergo Petrus, qui respondet pro cæteris Apostolis, imò pro cæteris, et idcò fundamentum dicitur.

Ad 3tium Quando S. Ambrosius ait, incertum esse, quis cui inter Petrum et Paulum sit præferendus, non loquitur de præeminentiâ et auctoritate primatûs, sed de meritô bonorum operum duntaxat, Zelô, et Studiô propagandæ fidei, curis et laboribus, qui in prædicatione Verbi Divini sustinendi erant, quibus in rebus non audet hic S. Doctor pronuntiare, quis ex ipsis duobus sit præferendus, prout patet ex iis, quæ subjun-

Q. 1159
2

git, nempe, Puto, inquit, æquales idos esse 359.
meritis, qui æquales sunt passione.

Objiciuntur 9.no Varii aliorum SS. 369.
Patrum textus, qui innuere videntur, plane in omnibus æqualem fuisse Paulum
Petro.

1.o S. Irenæus lib. 3. adv. hæres. c. 3.
ait: Ecclesiam Romanam fuisse à Sanctis
Apostolis Petrô et Paulô fundatam.

2.o. S. Epiphanius hæres. 27. n. 6. Ro-
mæ, inquit, primi omnium Petrus et
Paulus Apostoli pariter et Episcopi fuerunt.

3.o S. Cyrillus Jerosolymitanus Ca-
theches. 6.a Petrum et Paulum eodem
nomine præfectos Ecclesiæ nuncupat.

4.o S. Chrysostomus Hom. 32. in Epist.
ad Romanos. Non tantum oculos Romæ,
sed et Sanctorum Coryphæos idos indistinc-
tim appellat.

5.o S. Leo Serm. de Natali Apostolorum
c. 1. Petrum et Paulum vocat Romæ
urbis Patres, et Pastores.

6.o S. Gregorius Magnus lib. 1. Dial. c. 12.
Paulus, inquit, Apostolus Petro Aposto-
lorum primo in Principatu Apostolicô
frater est.

7.mo Ambrosiaster in c. 2. Ep. ad
Galat. dicit, Primatus gratiam Paulo
concessam fuisse sicut et Petro.

8.vo S. Maximus Taurinensis Hom.
5. in festo Apostolorum Petri et Pauli,
eos appellat, Principes Ecclesiarum, et
fidei doctrinæ.

9.no Beatus Petrus Damiani Opusc.
35. c. 4. Postquam dixit, S. Petrum nul-
lam specialiter Cathedram occupasse, sed
omnibus præfuisse, quia toto terrarum
orbe universalem Ecclesiam fundavit,
postea de S. Paulo ~~ait~~ idem asserit, illumq;

 ad instar Christi vicari omnibus Ecclesiis praesidere.

10mo Idem constat ex Summis Pontificibus, qui se dicunt Successores Petri et Pauli. Auctoritate Beatorum Apostolorum Petri et Pauli, inquit Paulus III. in Decreto convocationis Concilii Tridentini, qua nos quoque in terris fungimur.

Similia habet Pius IV. in Diplomate de absolvendâ Synodo Tridentinâ.

Idem probat consuetudo exprimendi in Diplomatibus Pontificiis effigies SS: Petri et Pauli, atque interdum Dextera Paulo, interdum verò Petro datur; unde utriusque perfecta aequalitas potest inferri.

Idem denique probat Officium Ecclesiae Latinae, quae in suis praeibus ambos ex aequo vocat Principes gloriosos terrae, per quos Ecclesia Religionis sumpsit exordium, item Judices terrae.

Et in Sacramentario S. Gregorii, dicitur: Deus, qui ligandi solvendique licentiam tuis Apostolis contulisti; quae verba ad S. Petrum et S. Paulum pertinent.

Resp. Ex adductis SS. Patrum et Pontificum testimoniis non plus inferri posse, quàm, quòd S. Paulus in auctoritate Apostolicâ aequalis fuerit Sancto Petro, uno duntaxat excepto primatu, quem unaum praerogativis eidem annexis S. Petrus ad suos Successores transmisit, prout jam antea exposuimus. Ut igitur ad singula respondeamus.

Ad S. Irenaeum, verum est, quòd S. Paulus unaum S. Petro Romanam Ecclesiam fundavit, praedicatione vide-

licet et sanguine, quod unum hic vult S. Irenæus. At verum non est, S. Paulum fuisse unum cum S. Petro Ecclesiæ Caput, in quantùm scilicet S. Petrus est Romanæ Ecclesiæ et totius Ecclesiæ Catholicæ centrum. 361.

Ad S. Epiphanium, Resp. S. Petrum et Paulum Apostolos pariter fuisse et Episcopos Romæ, quoad munus docendi, non verò quoad auctoritatem regendi totam Ecclesiam; pares ergo fuerunt auctoritate Apostolicâ, exceptò Primatu, et ejus annexis.

Ad S. Cyrillum Resp. quòd quidem SS. Petrum et Paulum prælatos seu præsides Ecclesiæ appellarit, sed cum hoc discrimine, quòd, cùm de S. Petro seorsim loquitur, ipsum non solùm præsidem, sed Pro=præsidem ac Præfectum Apostolici Collegii esse dicat.

Ad S. Chrysostomum Resp. Petrum et Paulum ab ipso dici oculos Romæ propter doctrinam fidei, quâ Romam illustrarunt; ex quo nihil contra nos concluditur. Vocat autem idem S. Pater Paulum Sanctorum Coryphæum, quia cæteris sanctis ob eminentia virtutum merita eum existimavit superiorem, non verò ob auctoritatem; siquidem Hom. ult. in Joan. observat, S. Paulum præ cæteris Apostolis invidere voluisse S. Petrum, atque hunc illi deferre honorem, Os enim, inquit, erat Apostolorum, et Princeps et vetex ipsius cœtûs.

Ad S. Leonem Resp. SS. Petrum et Paulum meritò ab eo nuncupatos Romæ Patres ac Pastores, quia Romanos in fide genuerunt, genitosque verbò et doctrinâ enutriverunt; sed non ideo æqualis ipsorum potestas à S. Leone signi-

B 2 160

362. ficatur, cùm ibidem asserat, Romam per Beati Petri Sedem Caput orbis effectam esse.

Ad S. Gregorium dicimus, non rectè inferri, parem esse Pauli cum Petro potestatem, ex eo quòd illum dicat fratrem Petri in primi patu Apostolicò: nam, ut ipsemet explicat lib. 2. in Ezech. Hom. 6. frater quidem erat, sed auctoritate minor; agens quippe ibidem de reprehensione Petri per Paulum, sic loquitur: Qui à minori hò reprehenditur, et reprehendi non dedignatur. Jam dixerat, eum, qui primus fuit, in Apostolatûs culmine, fuisse etiam primum in humilitate.

Ad Ambrosiastrum, parùm ejus auctoritate movemur, cùm à catholicâ fide sit alienus: Etsi, quando dicit, gratiam primatûs Paulo sicut et Petro datam fuisse, intelligi posset de primatu prædicationis, non verò auctoritatis.

Ad S. Maximum, sufficienter ipse se ipsum explicat in eodem sermone, ubi utriusque Apostoli discrimen evidenter indicat, quantum ad regimen et magisterium, Nam, ~~[illegible]~~ ambo, inquit, Claves à Domino acceperunt, Scientiæ istæ, illæ potentiæ.

Ad Petrum Damiani; Resp. 1.o Ejus propositionem absolutam non esse: non enim ait, S. Paulum omnibus Ecclesiis præsidere, sed videri præsidere. 2.do loquitur de præsidentiâ per prædicationem, et doctrinam; non verò per auctoritatem. Dignum est, inquit, ut sicut in omnibus fidei semen sparsit, ita in omnibus jus teneat præsidentiæ.

3.tio vult S. Paulum omnibus Eccle-

siis præsidere, quia nullam specialiter cathedram tenet: non igitur ipsi assignanda est Romana Sedes, in qua parem exerceat cum Petro auctoritatem.

Ad 10mum. Resp. Summos Pontifices se dicere Successores SS: Petri et Pauli, imò omnium Apostolorum, quoad Successionem realem, quâ sibi nempe non modò SS: Petri et Pauli, sed et omnium Apostolorum jura sibi vindicant; non verò quoad Successionem personalem, quoad hanc enim soli Petro succedunt, penesquem solum nempe summa fuit potestas. Tu es potestate Petrus, inquit S. Bernardus lib. 1. de considerat. ad Eugenium Papam.

Quod de Paulo III. et Pio IV. additur, nihil probat; nam legimus, varios summos Pontifices in suis Diplomatibus non modò Petri et Pauli, sed etiam Beatæ Virginis Mariæ, et omnium Sanctorum auctoritatem appellasse. Ita Joannes VIII. Ep. 262. Nicolaus I. in Sententiâ contra Photium latâ. Alexander II. Ep. 9. Nihil igitur aliud significant omnes istæ loquendi formulæ præter auctoritatem patrocinii, quam ad officium ritè obeundum implorant Romani Pontifices; non verò auctoritatem officii, cui ipsi succedant.

Quod refertur de Sigillis Pontificiis parum urget. S. Carolus Borromæus Sigillo suo effigies SS: Gervasii et Protasii simul conjunctas insculpi curavit, nec tamen idcirco illos velut decessores suos in Archiepiscopatu Mediolanensi agnoscebat, sed tanquam singulares duntaxat apud Deum patronos, prout inscriptio declarabat: Tales ambio defensores. Deinde,

364 Sub annulo Piscatoris obsignantur Pontificia Diplomata, hoc est, Solius Petri effigie, et aliter obsignata pro legitimis passim non habentur.

Quod verò additur de Dexterâ, quæ interdum datur imagini S. Pauli, leve est argumentum. Pars enim dextera non est semper locus honoratior in Ecclesiâ ut patet tum ex Synodo VII. Act. 4. ubi refertur, Sophronium Patriarcham Jerosolymitanum vidisse admirabilem imaginem, qua Christum exhibebat in medio, B. Virginem Deiparam à sinistris, et S. Joannem à dextris. Tum ex Synodo Calcedonensi, in qua Dioscorus, licèt mox damnandus, dextram tenebat, Legati verò Leonis Papæ sinistram occupabant. Tum ex eo, quòd in sinistrô cornu altaris Evangelium legi soleat. Tum denique ex eo, quòd quando Summus Pontifex Officiis Ecclesiasticis interest, sedeat in sinistrâ chori parte; et olim, cùm in Ecclesiâ fœminæ seorsim à viris orabant, sinistra viris, dextera verò fœminis assignabatur.

Ad Officium Ecclesiæ, Resp. Hæc verba, per quos religionis sumpsit exordium &c. innuere quidem paritatem utriusque Apostoli in institutione Ecclesiæ, ac fidei propagatione, non verò in præeminentiâ primatûs: per omnes etiam Apostolos Ecclesia sumpsit exordium. Petrum nihilominus ab Evangeliô et Patribus dictum fuisse Apostolorum primum, nemo negabit.

Neque obstat, quòd Petrus et Paulus dicantur Principes, et Judices terræ et Sauli;

Idenim omnibus Apostolis commune est, cùm 365.
de illis omnibus et singulis in officiô suô cantat
Ecclesia: Constituës eos Principes super omnem
terram. Sicut et in hymno: Vos Sœculi Justi
Judices.

Denique ad id, quod ex Sacramentario S. Gregorii refertur, diximus, nihil inde adversus nos probari; siquidem non solis Petro, et Paulo concessit Christus auctoritatem solvendi, et ligandi, sed etiam omnibus eorum in Apostolatu Sociis, cùm dixit, Accipite Spiritum Sanctum. Verùm in eodem Sacramentario evidenter expressit primatum S. Petri in illa oratione ad festum S. Petri recitari solita. Deus qui Apostolo tuo Petro collatis clavibus Regni Cœlestis ligandi atque solvendi Pontificium tradidisti &c. ubi per Pontificium intelligenda est supereminens quædam potestas, quæ non est apud illos omnes, qui jure clavium utuntur ad peccatores solvendos aut ligandos.

§ Secundus.

De Primatu Romani Pontificis supra cæteros Episcopos in Universâ Ecclesiâ. 370.

Romanum Pontificem S. Petri in honore, dignitate, potestate ac jurisdictione Successorem esse, tota retò antiquitas, et quotquot hactenus fuêre Doctores Catholici semper fassi sunt ac tuti, prout ex contextu tum hoc tum sequenti paragraphô dicendorum patebit. Cum igitur, prout primùm ostendimus, S. Petrus supra cæteros Apostolos, quorum Successores sunt omnes in Ecclesiâ universâ Episcopi, nedum honoris, et digni-

366. tatis, sed et potestatis, necnon jurisdictionis primatum acceperit, meritò tuemur eodem primatu gaudere supra cæteros Ecclesiæ Episcopos Pontificem Romanum ideo in eadem Ecclesia Successorem legitimum, atque privilegium istud à S. Petro ad eum fuisse transmissum. unde ponitur.

Conclusio.

371 Romanus Pontifex supra cæteros Episcopos in totâ Ecclesiâ primatum honoris, et jurisdictionis obtinet; idque Jure divinô.

Pb. 1.a pars. 1.o Ex constanti et antiquâ Ecclesiæ traditione. 1.o Ex Conciliis.

r * an. 325. *Concilium Oecumenicum Nicænum I. can. 6. qui refertur in Concilio Chalcedonensi act. 16. sic habet: Ecclesia Romana semper habuit primatum.

s * an. 381. *Constantinopolitanum I. Can. 2. sic loquitur: Constantinopolitanus Episcopus habeat primatus honorem post Romanum Episcopum.

7.165

t * an. 381. Aquileense in Epist. ad Imperatorem. Dea Ursicino, inquit, obsecranda fuit clementia vestra, ne totius orbis Romani caput Romanam Ecclesiam turbari sineret.

u * an. 431. *Ephesinum act. 4. ait: Oportebat quidem Joannem Reverendissimum Antiochiæ Episcopum, hac sanctâ et magnâ Synodô considerata, confestim, ut de iis, quæ ipsi objiciuntur, se purgaret, accurrere ad Apostolicam Sedem Magnæ Romæ, ac nobiscum obedire et honorem deferre Apostolicæ Dei Ecclesiæ Romanorum, præsertim cum apud illam Sedem ex Apostolico ordine et traditione mos sit dirigi, et apud ipsam judicari.

*Concilium Chalcedonense act. 1. habet: Romanam Ecclesiam Caput esse omnium Ecclesiarum. 367. *an. 451.

*Lateranense sub Martino I. Summum Pontificem vocat Patrem Patrum, Archiepiscopum Universalem, Ecclesiæ verticem, Primipem et Doctorem orthodoxæ, et immaculatæ fidei. *an. 649.

*Concilium Constantiense hanc Wiclefi propositionem damnat: Non est de necessitate Salutis credere Romanam Ecclesiam esse supremam inter alias Ecclesias. *an. 1414.

*Florentinum totius orbis Christiani primatum Romano Pontifici apertis verbis decernit. *an. 1438.

*Denique, ut alia omittamus, Tridentinum Sess. 14. de poenit. c. 7. sic loquitur: Unde merito Pontifices Maximi pro suprema potestate sibi in Ecclesia tradita &c. *an. 1545. inchoatum, et an 1563. finitum.

Cb. 2do Ex SS. Patribus. 1o Ex Græcis. S. Irenæus lib. 3. c. 3. dicit, Romanam Ecclesiam omnium esse maximam et antiquissimam, ad quam propter potiorem principalitatem, id est, primatum, necesse est, omnem Ecclesiam convenire, id est, qui sunt undique fideles. 372

S. Dionysius Alexandrinus hunc primatum in Dionysio Romano agnovit, quippe qui ab isto interpellatus, ut rationem suæ fidei redderet, mandatis ipsius idcò obedivit.

S. Athanasius Ep. ad Felicem Papam, ob id vos, inquit, prædecessoresque vestros Apostolicos videlicet Præsules in summi-

368. tatis arce constituit, omnium Ecclesiarum curam habere praecepit /: Christus :/ ut nobis succurratis.

S. Basilius Ep. 52. ad Athanasium. Visum est mihi, inquit, consentaneum, ut scribatur Episcopo Romae, ut quae hic geruntur, consideret, et sententiam suam expromat.

S. Gregorius Nazianzenus in Carmine de vita sua, licèt novam Romam /: Constantinopolim :/ cum vetustâ comparet, hanc tamen totius orbis Praesidem fatetur.

S. Epiphanius Haeres. 68. n. 8. ait: Ursacium et Valentem veniam apud Julium Papam Romanum deprecatos esse, atque ut eos ad communionem et poenitentiam admitteret eum rogasse.

S. Chrysostomus, cùm à Theophilô Alexandrinô, et à Synodô ad Quercum dictâ exauctoratus fuisset, ad Innocentium I. Romanum Pontificem appellavit.

Theodoretus Ep. 116. de Romana Sede haec eloquitur: Sanctissima illa Sedes Ecclesiarum, quae in toto sunt orbe, principatum multis nominibus habet &c.

Denique omnes Graecos suam semper in Romanam Sedem reverentiam significasse testatur Pelagius Papa II. Ep. 8. ad Joan. Constantinop. Et in ipso Florentinô Conciliô Sess. 25. Summus Pontifex Graecos alloquens ait: Optimè scitis, quantum honorem haberent semper Orientales Romanae Ecclesiae, quantamque illi obedientiam exhiberent.

Historiae quoque memoriâ proditum est, primùm tempore Photiani Schismatis Romanae Sedis jura et privilegia impugnare aggressos fuisse Graecos, prout scribit Nicolaus I. Ep. ad Hincmarum.

Sla 163

8.166

2.do Ex Latinis. Tertullianus lib. 369.
adversus Praxeam. ait, Romanum Pontificem pacem Ecclesiis Asiæ et Phrygiæ datam revocasse, ac Montanum, suadente Praxeâ, damnasse. Lib. de pudicitia, quamquam jam in hæresim lapsus, et Romanum Pontificem impugnans, veritati nihilominus testimonium perhibet, cum Romanum Episcopum, Pontificem maximum, et Episcopum Episcoporum tunc appellatum fuisse significat.

S. Cyprianus Ep. 42. et 45. Ecclesiam Romanam vocat cæterarum omnium radicem et matricem.

S. Ambrosius Ep. 78. ad Theophilum Alexandrinum, cui Capuana Synodus provinciam commiserat judicandi de Ecclesiæ Antiochenæ dissidiis scribit, eum debere mittere judicii sui relationem ad Sedem Apostolicam, nullusque fore roboris prolatam ab illô sententiam, nisi à Pontifice Romanô probetur.

S. Optatus lib. 2. * De Romanâ Sede sic loquitur: Dicit enim, quinque esse Ecclesiæ Catholicæ dotes, ac primam esse unicam et singularem Petri Cathedram, in qua ab omnibus servari debet unitas. Tam verò singularem Cathedram, non solùm Petri sed etiam ejus successorum esse ostendit, enumerans Romanos Pontifices usque ad Siricium, et tandem concludit n. 6. Igitur de dotibus supradictis Cathedra est prima, quam probavimus per Petrum nostram esse.

S. Hieronymus Ep. ad Damasum: Ergo, inquit, nullum primum, nisi Christum, sequens beatitudini tuæ, id est, Cathedræ Pe-

* cont. Parmenianum

370. tri communione consorior. Super illam petram adificatam Ecclesiam suo p.

S. Augustinus Ep. 43. alias 162. In Romanâ Ecclesiâ, inquit, Semper Apostolica Cathedra viguit Principatus.

S. Prosper in carmine de ingratis c. 2. n. 40. hæc habet:

Sedes Roma Petri, quæ Pastoralis honoris
Facta caput mundo, quidquid non possidet armis,
Religione tenet.

S. Fulgentius lib. de Incarn. et gratiâ Christi c. ii. ait, Romanam Ecclesiam esse mundi cacumen.

Vincentius Lirinensis in Commonitorio 1. c. 5. ait, Romanum Pontificem omnes cæteros Episcopos loci auctoritate superare.

S. Bernardus lib. 2. de consideratione ad Eugenium Papam c. 8. Quis es? inquit, Sacerdos magnus, Summus Pontifex, Princeps Episcoporum, hæres Apostolorum p.

373. Lib. 3 tio ex ipsis Summis Pontificibus. Victor Papa Quartodecimanos, nisi quoad celebrationem Paschatis Ecclesiæ Romanæ consuetudinem amplecterentur, excommunicaturum se minatus est; vel, ut alii volunt, re ipsa excommunicavit*.

* Euseb. lib. 5. Hist. c. 24.

Stephanus in controversiâ de rebaptizandis hæreticis Cyprianum cum Africanis, et Firmilianum cum quibus Orientalibus, quod ipsi parere renuerent, velut Ecclesiæ rebelles habuit, et abstinendos censuit. Martianum Arelatensem Episcopum, quod Novatianus esset, deposuit*.

* S. Cyprian. Ep. 67.

Julius Athanasium Alexandrinum, Paulum Constantinopolitanum, Marcellum Ancyranum, et Asclepam Gazensem ab Orientalibus depositos sedibus suis restituit*.

* Sozom. lib. 3. Hist. c. 8. Socrat. lib. 2. Hist. c. 12.

Liberius Eustatium Sebastenum in Concilio Melitinensi in Armeniâ depsi-

tum, et ad se confugientem restituit, prout 371.
testatur S. Basilius, Ep. 74.

Cælestinus I. demandat Cyrillo Alexandrino, ut Nestorium Constantinopolitanum vice suâ deponat, si in errore suo propugnando pertinax fuerit.* 48

* partis. Conc. Ephes. n. 15.

Innocentius I. Pelagii errores damnat, dictque Anathema iis omnibus, qui catholica dogmata de necessitate gratiæ, et peccato originali impugnarent; quo decretô causa finita est, inquit S. Augustinus Serm. 2. nunc 132. de Verbis Apostoli.

S. Leo magnus innumeris locis primatûs sui argumenta suppeditat, cùm nempe in Græcos, Asiaticos, Ægyptum, et Africam suam supremam exercuit jurisdictionem. Legantur ejus Epistolæ, 12ma alias 84. ad Anastasium Episcopum Thessalonicensem. 60ma ad Anatolium Constantinopolitanum Episcopum. 92. ad Maximum Patriarcham Antiochenum. 1ma ad Episcopos Africæ; et ea, quam scripsit ad Episcopos provinciæ Viennensis, ubi testatur, innumeris consultationibus ad Sedem Romanam confugisse gados, cùm aliquid dubii patiebantur circa fidem et mores.

S. Gregorius Magnus, se totius Ecclesiæ Caput et præfectum esse nominus disertè profitetur, quàm S. Leo, aliique Pontifices jam laudati, quemadmodum intelligi potest ex Ep. 52. alias 37. lib. 2. ad Natalem, ubi se quatuor magnis Patriarchis Orientis superiorem se declarat. Et lib. 9. Ep. 12. ad Joannem Episcopum Syracusanum alias lib. 7. Ep. 64. dicit, Constantinopolitanam Ecclesiam subjectam esse Apostolicæ Sedi.

Nicolaus I. Ep. 8. ad Michaelem Imperatorem, ait: Romanæ Ecclesiæ privilegia Cris-

372 ti ore in Beato Petro firmata .... nullatenus minui, aut infringi posse p. Et ad Photium Sedis Constantinopolitanæ invasorem scribens ait: Universitatem credentium à Romanâ Ecclesiâ, quæ est caput omnium Ecclesiarum, doctrinam exquirere, integritatem fidei deposcere p.

Denique, ut cæteros omittamus, Joannes VIII. in Concilio Romanô an. 877. Romana Ecclesia, inquit, est Magistra, Mater, et Caput Ecclesiarum.

Ad hæc testimonia jungimus præscriptam à Pio IV. Pontifice Maximô hanc professionis fidei formulam totius Orbis Christiani reverentiâ consecratam: Agnosco Catholicam et Apostolicam Romanam Ecclesiam omnium Ecclesiarum Matrem et Magistram; Romanoque Pontifici Beati Petri Apostolorum Principis Successori, ac Jesu Christi Vicario veram obedientiam spondeo ac juro.

374. Prob. 2da pars Conclusionis, quòd scilicet Romani Pontificis primatus sit juris Divini. Quia ille, in quem Petri auctoritas, quam jure divino, à Christo videlicet, ipse accepit, tanquam in Successorem derivata est et transfusa; jure divinô primatum obtinet super alios Episcopos et universos fideles. Atqui hæc S. Petri auctoritas in Romanum Pontificem, velut in ejus Successorem et hæredem transfusa est. Ergo ipse jure divino primatum obtinet super alios Episcopos p.

Maj. patet. Min pb. Nullus se Petri in primatu Ecclesiæ Successorem ullômodô asseruit, præter Romanum Episcopum; et quamvis Antiochenam et alias Ecclesias Petrus constituerit, et ad tempus rexerit; illæ tamen omnes, ut Antiqui Patres cum S. Irenæo

lib. 3. c. 3. asserunt, Romana primatus hono- 373.
rem semper concesserunt; nec alteri unquam competivisse perpetua et unanimis traditio docet; prout tum praesenti tum priori §. demonstravimus. Ergo solus Romanus Pontifex, qui Petro in Urbe Româ morienti successit, eidem in tota ipsius dignitate successit.

Sed potestas ilia et dignitas Petri est juris divini. Ergo et potestas Romani Pontificis.

Pb. cons. ~~Eadem~~ Causa, propter quam inter suos Apostolos unum primum Christus constituit, est hac: ut nempe schismatis tolleretur occasio, fidelesque haberent, unde in arduis ac majoris momenti rebus firmum caperent consilium, et definitionem, afflicti verò solatium reciperent. Atqui hac causa adhuc subsistit. Ergo sicut potestas Petri est juris divini, ita et auctoritas et dignitas Romani Pontificis est juris divini. Et quod Christus instituendo Pastorale munus Ecclesiae, ovium que suarum primo Pastori Petro contulit, id etiam cuilibet Romano Pontifici successori ipsius intelligitur contulisse, cum Ecclesia seu oves ipsius usque ad consumationem saeculi sint futurae, nec deceat ovili perpetuo primum pastorem temporarium deesse.

Solvuntur Objectiones. 375.

Ob. 1.º contra 1. part. Conclusionis.
S. Paulus Ephes. 4. v. 11. et 1. Cor. 12. v. 28. varios Hierarchiae Ecclesiastica gradus enumerans, nullam omnino mentionem fecit Capitis alicujus externi, cui pra ceteris honoris, et jurisdictionis primatus conveniat. Ergo hujusmodi externum Ecclesiae Caput ipse non agnovit.

374. Resp. 1o Argumentum negativum parum ponderis habere, cùm adsunt positiva, prout sanè hîc adsunt.

Resp. 2.do Apostoli scopum non esse, citatis locis omnes Hierarchiæ Ecclesiasticæ gradus enumerare. Meminit quippe Prophetarum, Evangelistarum, Doctorum, virtutum &c. quibus certè necessariò non constat Ecclesiastica Hierarchia. Jam dudum apud nos desiêre Prophetæ, Evangelistæ. Agit ergo Apostolus de variis charismatis, quibus primi Evangelii ministri fuerunt instructi ad fidem Christi facilius propagandam ac dilatandam.

Resp. 3. Unitatem Capitis Ecclesiæ colligi etiam posse ex eodem Apostolo, cùm scilicet ait, unum corpus nos esse, et unum Spiritum: neque enim corpus concipi potest, nisi simul intelligatur et caput; illud quidem essentiale, invisibile, primarium est Christus; ministeriale verò Romanus Pontifex: cùm enim Ecclesia sit Corpus visibile, et externum, necesse est, Caput aliquod ipsius visibile et externum agnoscere.

376. Ob. 2.do S. Cyprianus lib. de unit. Eccles. diserte ait, omnes Apostolos pari consortio honoris et dignitatis fuisse præditos..... unum esse Episcopatum, cujus à singulis in solidum pars teneatur. 2.do Negat, inter Episcopos aliquem posse dici Episcopum Episcoporum. Negat, ad aliquem, præter Deum, pertinere, cæteros judicare in causis fidei, qualis erat celebris illa quæstio de rebaptizandis hæreticis; Stephanoque Papæ diffinienti, nihil esse innovandum &c, durè ac obstinatè reluctatus est. 3tio Censuit Romanum Pontificem non habere potestatem Episcopum à suis Coepiscopis exauto-

166

ratum Sedi suæ restituere, graviterque tulit, 375.
Basilidem et Martialem duos Hispaniæ
Episcopos propter idololatriæ crimen depositos
à Stephanô Papâ fuisse restitutos. Desinde-
re, inquit Ep. ad Episcopos et plebes Hispaniæ,
ordinationem rectè factam non potuit.
In causâ denique Martiani Episcopi Arela-
tensis contendit, sibi, et Coepiscopis suis pa-
rem esse cum Stephanô in eâ dijudicandâ
autoritatem. Ergo sp.

Ad j. Respondimus S. præcedenti num.
366. et seq.

Ad 2.dum In errore fuit S. Cyprianus
ut omnes fatentur. vide quæ hac de re hy.
D. 4. S. 4. num. 338. retulimus. Deinde
non negat absolutè, aliquem esse Episcopum
Episcoporum; sed tantùm aperit inter
Episcopos Tertii Carthaginensis Concilii,
in quo ipse sedebat, nullum esse, qui se
Episcopum Episcoporum faciat, atque tyr-
rannicô terrore ad obsequendi necessitatem
suos Collegas adigat. Obliquè hû per-
stringit Stephanum Papam, qui commi-
natus pœnam excommunicationis Episcopos
rebaptizantes ab errore revocare studebat:
unde, quando ait, nullum esse inter pre-
sentes suos Coepiscopos Episcopum Episcopo-
rum, non obscurè subindicat, esse in
Ecclesia talem quemdam, Stephanum sci-
licet Romanum Episcopum.

Cùm autem ait, Episcopos ab aliis
judicari non posse, sed à solô Deô; sic quo-
dammodò eum excusat S. Augustinus, ut,
quia arbitratus sit, hanc de rebaptizan-
dis hæreticis quæstionem ad disciplinam
duntaxat pertinere, non autem ad fidem,
consuerit, in eâ suam unique esse relin-
quendam sentiendi, et agendi libertatem,

376. et Soli Deo judicium esse reservandum. Utrobique erravit Cyprianus; quem tamen errorem gloriosâ Martyrii falce purgavit, ut ait Augustinus Ep. 108. aliàs 255.

Ad 3tium Stephanus à Basilide deceptus Sabini, qui in ejus locum canonicè subrogatus fuerat, ordinationem irritam declaravit quidem, Basilidemque Sedi restituendum fore censuit. At cùm, ut alibi exposuimus, potestas Romani Pontificis à Christo ei data non sit ad destructionem, sed ad ædificationem, meritò de Stephani Papæ judiciò queritur Cyprianus, quin tamen inde vel minimum Romani Pontificis auctoritati detrahatur.

Ad ultimum, negamus, S. Cyprianum existimasse, sibi et Coepiscopis suis parem esse in dijudicandis Episcoporum causis auctoritatem. Ex charitate quidem omnes et singuli Episcopi curam habere debent Ecclesiæ, hostesque ipsius propulsare, fidei et morum puritati, et integritati invigilare; quapropter, cùm Martianus Ecclesiam Arelatensem Novatiani Schismate et hæresi inquinare tentaret, pro muneris sui parte poterat, et debebat Cyprianus huic periclitanti Ecclesiæ subvenire; quod et fecit, monendo et rogando Stephanum Papam, ut curaret, deponi Martianum, et alium in ejus locum substitui; qua in re apertè et ultrò agnoscit ac profitetur, superiorem esse Stephani auctoritatem, ad quem propter primatum pertinebat cura et sollicitudo omnium Ecclesiarum. Charitate igitur pares esse debent omnes Episcopi, in sollicitudine Ecclesiæ habendâ, sed jurisdictione sunt dispares, ac inter ipsos

Solus Pontifex Romanus jurisdictionem ex- 377.
ercere potest in omnes et singulas Ecclesias.

Ob. 3tio S. Gregorius Magnus lib. 5. 377.
Ep. 20. alias lib. 4. Ep. 32. Insectatur Joannem Constantinop. quod se Episcopum Universalem diceret, atque, istud esse blasphemiæ nomen. Et Ep. 18. alias 38. appellat nefandum et profanum tumorem erroris, nomen stultum, ac superbum vocabulum, præsumptionem temerariam, qua turbatur pax Ecclesiæ, nomen istud. Item Ep. 43. alias 36. ait, nullum è suis decessoribus Episcopis Romanis tam profanô vocabulô usum fuisse, ex quo perniciem Ecclesiæ imminere dicit. 2do Ibidem ait, Petrum Ecclesiæ membrum esse, non Caput. Ergo perperam juxta S. Gregorium Episcopus Romanus, universalis dicitur Episcopus.

Resp. ad 1mum dist. cons. Romanus Episcopus perperam dicitur Universalis Episcopus, in sensu perversô, conc. In sensu orthodoxô et Catholicô, neg. cons.

S. Gregorius Episcopi universalis nomen damnavit in Joanne Episcopô Constantinop. qui videbatur, ita universalis Episcopi nomen appetere, ut cæteri Orientis Episcopi essent tantum quasi delegati ipsius, et Vicarii, ut innuit idem S. Gregorius citatâ Ep. 18 ad Joannem Constantinop. Et quamvis aliô sensu, ut scilicet intelligeretur idcò vocari Episcopus Universalis, quòd haberet solummodò jurisdictionem in maximam Orbis partem; tamen ob cautelam, ne scilicet quis nomen istud ad perversum sensum deflecteret, et quia tum quæstio erat, an nomen istud etiam Constantinopolitano

378. Episcopo concedi posset, non verò an concedi posset Romano Pontifici; ideò nomen illud omninò supprimendum censuit S. Gregorius, et ad melius atque efficacius reprimendam Joannis superbiam; quamvis certum esset, id nomen Romano Pontifici sensu Catholicô competere, id est, quatenus supremam in omnes totius Orbis Episcopos et Ecclesias auctoritatem et jurisdictionem habet, necnon ipsi jam in Concilio Chalcedonensi illud datum fuisse.

Cùm nihilominùs Episcopi Constantinopolitani nomen istud usurpare continuarent, tandem an. 606. obtinuit Bonifacius II. à Phoca Imperatore, ut Episcopi Universalis nomen non ampliùs sibi arrogarent Episcopi Constantinopolitani, sed uni tribueretur Romano Pontifici, teste Anastasiô Bibliothecariô in Bonifacio. Et Paulô Diaconô lib. 4. de gestis Longobardorum.

Ad 2dum Eô modô, et non alio, negat S. Gregorius, Petrum esse caput Ecclesiæ, quo Christus ipse illius est Caput, independens scilicet et primarium, non autem negat, Petrum esse Caput Ecclesiæ visibile, secundarium, ministeriale, et à primariô, invisibili Christô scilicet pendens. Ait autem Petrum esse membrum Ecclesiæ, quod certè non pugnat cum dignitate capitis; caput enim in corpore humanô etiam est membrum, nec tamen desinit esse caput. Romanus Pontifex ergo est etiam Ecclesiæ membrum sed præcipuum et primarium quod cætera regit et gubernat.

378. Ob. 4to Omnes Episcopos esse inter sese pares, nec ullum habere inter se su-

periorem; multa videntur demonstrare. 1.o Omnes Episcopi dicuntur Petri, et aliorum Apostolorum Successores, ita testantur SS. Cyprianus, Hieronymus, Ephrem, Augustinus, et alii. 2.o Omnium Episcoporum auctoritas à Deo est immediatè instituta, et auctoritat; ut patet ex c. 20. Act. Apost. Vos Spiritus Sanctus posuit Episcopos regere Ecclesiam Dei. 3.tio Omnes sunt Vicarii Christi in terris, omnes enim pro Christo legatione funguntur, 2. Cor. 5. v. 20. 4.to Omnes dicuntur curam universalis Ecclesiæ sustinere. ita S. Ignatius Martyr Ep. ad Philadelphenses. Eleutherius Ep. ad Episcopos Galliæ. 5.to Episcopi toti Ecclesiæ leges dare possunt, et Concilia aliorum Episcoporum convocare, quod innumeris exemplis demonstrare promptum foret. Ergo p.

Resp. neg. ant. ad 1.num Dist. omnes Episcopi sunt Petri, et aliorum Apostolorum Successores in potestate Ordinis Episcopalis Secluso primatu et amplitudine potestatis Apostolicæ, conc. Senis, neg. Apostolis, ut jam supra dictum, fuit Duplex veluti potestas, una Apostolica nullis limitibus coartata, sed amplissima, quæ ad omnes Ecclesias extendebatur; in hac autoritate non succedunt Episcopi Apostolis, quæ his duntaxat propria fuit, ad alios minimè transmittendo, excepto solo Petro, cujus primatus et potestatis amplitudo ad ejus successores, ob rationes passim jam à nobis addutas, dimanavit. Autoritas Episcopalis ordinis verò, quæ fuit in Apostolis, tota ad Episcopos eorum successores transiit, sed intra limites uniusujusque Episcopatus conclusa, atque sem-

380. per cavit Ecclesia, ut quisque Episcopus intra fines sibi præscriptos se contineret.

Ad 2dum fatemur, parem esse omnium Episcoporum auctoritatem Origine videlicet, et institutione divinâ: Sed negamus, esse parem gradu et jurisdictione externâ. Erras, inquiebat S. Bernardus ad Eugenium lib. 3. de Consid. c. 4. Sicut Summam, ita et solam institutam à Deo vestram Apostolicam auctoritatem existimes*.

* vid. hp. s. 2. p. 356.

Ad 3tium. Concedimus, omnes Episcopos esse Christi Vicarios, sed quemlibet in suâ Ecclesiâ, sicut Romanus Pontifex est in Universâ Ecclesiâ.

Ad 4tum Verum est, omnes Episcopos sustinere curam universalis Ecclesiæ per charitatem duntaxat, qua Ecclesiæ cuilibet laboranti subvenire tenentur; non autem per auctoritatem et jurisdictionem, quæ soli Romano Pontifici competit.

Ad 5tum Disting. Episcopi particulares toti Ecclesiæ leges dare possunt doctrinâ et Scriptis pro Defensione Catholicæ fidei, conc. auctoritate et jurisdictione, neg. Pariter dist. alterum propositionis membrum: Episcopi convocant aliorum Episcoporum Concilia, Provincialia, conc. Generalia, neg. Ad solum quippe Romanum Pontificem spectat, omnes Episcopos in Concilium Œcumenicum convocare, prout alibi ostendimus*.

* cap. 4. hujus Tractat.

379. Ob. 5to Canon 6tus Concilii Nicæni I. juxta Veterum Isidori Mercatoris, et Dionysii Exigui interpretationem habet: Mos antiquus perduret in Ægyptô vel Lybiâ, et Pentapoli, ut Alexandrinus Episcopus horum omnium habeat potesta-

tem, quoniam quidem et Episcopo Romano parilis mos est; similiter autem et apud Antiochiam p. Rufinus verò lib. ii. Hist. Eccles. c. 6. eundem Canonem sic interpretatur: Et ut apud Alexandriam, et in Urbe Româ vetusta consuetudo servetur, ut vel ille Ægypti, vel hic suburbicariarum Ecclesiarum sollicitudinem gerat. Ex primâ interpretatione Capræ autoritas coarctatur intra limites Diœcesis. Ex secundâ verò intra Ecclesias suburbicarias, id est, centum mille passibus Româ distantes, vel saltem intra decem provincias Urbis Vicario addictas. Ergo canonista primatum in omnes orbis Christiani Ecclesias Romano Pontifici abrogat, et denegat.

Resp. neg. cons. Præditò Canone confirmatur, et stabilitur potiùs Romani Pontificis primatus, quàm labefactetur. Nam Paschasinus Romanæ Sedis Legatus in Conciliò Chalcedonensi profere jussus Canones, quos contra 28.um ejusdem Conciliò allegabat sic Nicænum sextum Canonem ex suò Codice recitavit: Trecentorum decem et octò Patrum Canon sextus: quòd Ecclesia Romana semper habuit primatum. Teneat autem et Ægyptus, ut Episcopus Alexandriæ omnium habeat potestatem, quoniam et Romano Episcopo hæc est consuetudo. Adversùs quam lectionem (quæ utique prioribus interpretationibus præferenda est) nemo reclamavit. Judices verò dixerunt: Perpendimus quidem omnem primatum, et honorem præcipuum secundùm Canones antiquæ Romæ Archiepiscopo conservari. Quibus patet, Veteres inter

382. lexisse, prædicto Canone Sexto Concilii Nicæni Primatum Romani Pontificis confirmari, ejusque potestatem nullis circumscribi limitibus, cùm tamen potestati Alexandrini Episcopi certi limites assignentur; adeo ut circa ejusdem Canonis Sexti Nicæni tum Mercatoris, et Dionysii Exigui, tum Nicephori interpretationes non ~~adeo~~ ita solliciti esse possimus aut debeamus, attamen ad utrasque Respondemus, et quidem

Ad 1mam Jurisdictio Romani Pontificis ~~[illegible]~~ in ea interpretatione coercetur inter limites Occidentis, quatenus est Summus Pontifex, Christi Vicarius, et S. Petri in universali Ecclesia Successor, neq. quatenus est Patriarcha Occidentis duntaxat. Conc. Prædicto Canone, secundùm Mercatoris et Dionysii interpretationem, instituitur tantùm comparatio inter Alexandrinum Episcopum et Romanum Pontificem, quoad dignitatem Patriarchalem, atque illius jura annexa. Quadruplex enim potest distingui in Romanô Pontifice jurisdictio. Est Episcopus respectu urbis Romæ, et districtûs Episcopalis, quem regit: Est Metropolita respectu Romanæ provinciæ, et Regionum Suburbicariarum: Est Patriarcha respectu totius Occidentis. Est denique Summus Pontifex respectu totius Orbis Christiani. Ergo citatus Canon Nicænus ejus jurisdictionem spectat, quatenus est Patriarcha Occidentis duntaxat, non verò quatenus est Summus totius Orbis Christiani Pontifex.

4

Ad 2dam Nicephori interpretationem eadem recurrit distinctio. Nec opus est, ut hic disquiramus, quid per Urbes Suburbicarias intelligi oporteat; quibus unius Provinciæ duntaxat Urbes, seu Ecclesiæ designari videntur;

et quaratione secundum ea, quæ mox diximus, 383.
Romanus Pontifex tanquam Metropolitanus consideratur. Certè Græci, licèt Schismatici, totum Occidentem Romano Episcopo semper adscripserunt, et adhuc adscribunt. Ita Zonaras in Can. 6tum Concilii Nicæni. Nilus Cabasilas lib. 2. de Primatu Papæ. Balzamon Patriarcha Antiochenus ad hunc Canonem. Exigua prætereà fides Ruffino est adhibenda, tum quia exclusus erat à Communione Romanæ Ecclesiæ per Anastasium Papam, antequam suam scriberet historiam, quam scribere non incepit, nisi post irruptionem Alarici*, id est Innocentii I. Papæ tempore; tum ob ejus inscitiam, et in interpretandis Auctoribus audaciam, ut scribit S. Hieronymus Ep. ad Ctesiphontem, et Apolog. 2. adversùs Ruffinum.

4. 176

* Alaricus Gothorum Rex Italiam invadit initio sæculi 5ti.

Ob. 6to Non conveniunt inter se 380.
nostri Theologi de prærogativis, in quibus potissimùm reponi debeat primatus Romani Pontificis. Ergo non pertinet ad certum, et fixum dogma fidei.

Resp. In iis, quæ circa primatum Romani Pontificis de fide semper censuit Ecclesia, optimè inter se conveniunt nostri Theologi: reliqua, quæ de illius auctoritate disputant, Ecclesia hactenus Scholis disceptanda reliquit, nec quidquam hac de re definivit. Ergo non premit objectio.

Ob. 7mo Testimonia ad stabili- 381.
endam nostram sententiam adducta ex summis Pontificibus, sunt ex testibus in propriâ causâ, ut patet. Atqui nemo in

7173

384. propriâ causâ legitimus testis esse potest, ut demò patet. Ergo &c.

Resp. Dist. min. Ubi de causâ privatâ agitur, Conc. ubi de publicâ. neg. min. Ubi de causâ publicâ fidei, de interpretatione institutionis à Christo factæ, de juribus primæ Sedis, ~~cæ~~ prout hic, agitur, certè non modò testes, sed et judices sunt Romani Pontifices, quibus certa fides haberi debet, præsertim cùm tota suffragatur Ecclesia, sicut in præsenti negotio re verâ suffragatur. Non enim legimus aliquos Episcopos hanc legitimam primatûs prærogativam Romanis Episcopis denegasse, minùs illorum hanc in rem ~~adducta~~ in conspectu totius Ecclesiæ adducta testimonia, quæ etiam continentur in Epistolis ad varias Ecclesias, imò Oecumenica Concilia directis, quibus nemo unquam contradixit, respuisse, aut in dubium revocasse, ut potè data à viris virtute eximiâ, ac præstanti doctrinâ celebribus, et quorum pietas suspicari non sinit, illos in eo jura et privilegia involasse, quæ sibi ullò pactò competere nec ipsi, nec traditio agnovissent.

Quin ipsimet Imperatores tam in Romanis Pontificibus primatûs prærogativam agnoverunt, et ab omnibus agnoscendam tanquam vindices Religionis ac Ecclesiæ Protectores, suis edictis deceverunt. Quatenus, inquit Valentinianus*, Beatissimus Romanæ Civitatis Episcopus, cui principatum Sacerdotii super omnes antiquitas contulit. Item, sanximus, inquit Justinianus*, secundùm Ecclesiasticarum definitiones Sanctissimum Senioris Romæ Papam primum esse omnium Sacerdotum.

* Epist. ad Theodosium tom. 4. Conc. p. 51. E.

* Novella 131. tit. 14. c. 2.

Ob. 8.vo contra 2dam partem Conclu- 385. 382.
sionis. Primatus Romani Pontificis fundatur in eo, quòd Petrus suam Sedem Romæ potiùs, quàm alibi, fixerit. Atqui hoc factum profectò merè humanum fuit ac voluntarium, nullò enim speciali mandatò Petrus Romæ adigatus fuit. Ergo primatus hic non fundatur in jure et institutione divinâ, sed in aliquo factò, quod nec in Scriptura narratur, nec jus divinum constituit, sed planè humanum.

Resp. neg. maj. Romanus Pontifex succedit Petro in Pontificatu Ecclesiæ universalis ex institutò Christi; Christus enim instituit Pontificatum Petri duraturum usque ad finem mundi; et proinde, quicunque succedit Petro, à Christò accipit ~~eosdem~~ Pontificatum. At verò ratio, cur potiùs Petro Romanus Pontifex succedat, quàm alius Episcopus, id ex facto Petri ortum est; cùm enim Romæ Sedem fixerit, et usque ad mortem tenuerit, inde factum, ut Romanus Pontifex ei succedat. Unde quamvis fortè de jure divinò non sit, Romanum Pontificem, qua Pontifex Romanus est, esse Petri successorem in præfecturâ totius Ecclesiæ, tamen omninò de jure divino est, eum esse totius Ecclesiæ caput et Pastorem.

Adde, quòd, quamvis fortè de jure divinò non esset, Romanum Pontificem, ut Romanus Pontifex est, Petro succedere, tamen id ad fidem pertineat: non enim idem est, esse aliquid de fide, et esse de jure divinò; nec enim de jure divinò fuit, ut Paulus haberet pemulam, est tamen de fide, Paulum habuisse pemulam. Utrique ergo

65

171

386. Romanum Pontificem succedere Petro non habeatur expressè in scripturis, tamen succedere aliquem Petro deduitur evidenter ex Scripturis: Idum autem esse Romanum Pontificem, habetur ex traditione Apostolicâ Petri, quam traditionem Conciliâ generalia, Pontificum Decreta, et Patrum testimonia declaraverunt.

8. 174

383. Ob. 9no Primatus dicitur Romano Pontifici concessus à Canonibus, imò et ab Imperatoribus; ut à Synodo Chalcedonensi Can. 28. ubi dicitur: Antiquæ Romæ throno, quòd urbs illa imperaret, jure Patres privilegia tribuerunt. Et Justinianus Novellâ 100.mâ ait: Decernimus secundùm Sacrarum Synodorum Decreta, Sanctissimum veteris Romæ Episcopum primum esse omnium Sacerdotem. Ergo &c.

Resp. Canonibus Ecclesiasticis hoc sensu primatum asseri Romano Pontifici, quòd per illos declaretur à Christo illi jam concessus, ac confirmetur, quomodò e.g. dicitur Concilium Nicænum definisse Filium Dei esse Patri Consubstantialem, quia declaravit dogma in Scripturis et traditione revelatum, idque confirmavit. Canon verò 28.vus Chalcedonensis à Leone Pontifice, atque ab universâ Ecclesiâ rejectus est, quamvis eâ, quam modò exposuimus ratione sit intelligendus, ut et Novella Justiniani.

S. Tertius.

384. An Summus Pontifex in Causis fidei et morum definiendis errare possit. Et, quod ad idem redit, an sit supra Concilium.

Stabilitò contra Acatholicos Romani Pontifices supra cæteros totius Orbis Episcopos ac fideles non modò honoris, et digni-

tatis, sed etiam auctoritatis et jurisdictionis primatu, gravis adhuc circa eundem est Gallicanos inter, et cæteros totius orbis Catholici Theologos quæstio, seu potiùs lis et controversia, num iste Romani Pontificis primatus et præeminentia eò extendi possit et debeat, ut dictus Romanus Pontifex auctoritate polleat, quascunque fidei et morum quæstiones supremô, et infallibi judiciô definiendi, sitque supra Concilium etiam Oecumenicum, et Ecclesiam collectivè sumptam seu Episcopos simul sumptos.

Theologi Galli, si non omnes, saltem secundùm speciem plerique, negant summi Pontificis de fide et moribus ~~[illegible]~~ definitiones absente totius Ecclesiæ consensu esse infallibiles, eumque Conciliô Oecumenicô superiorem esse. Affirmant verò cæteri.

Notandum tamen volunt, hic quæstionem non esse, num summus Pontifex etsi legitimus, velut Doctor privatus errare non possit. Omnes enim Theologi fatentur, tunc eum, cùm videlicet tanquam privata persona, et aliorum privatorum Doctorum instar aliquid scribit, aut docet, errori esse obnoxium.

In hoc igitur modò versamur, an scilicet summus Pontifex, quando quâ Pontifex et Universalis Ecclesiæ Catholicæ Pastor, pro summâ, qua pollet, auctoritate ~~[illegible]~~ Universam Ecclesiam docet rebusque maturè, prout par est, discussis causam aliquam definivit, et quod definivit, jubet tanquam fidei veritatem ab

388. omnibus haberi p. infallibilis sit necne?

Unde in Romanô Pontifice celebris illa distinctio statuenda videtur, quam adhibent infallibilitatis Pontificiæ assertores Theologi, et qua illum considerant, vel ut Doctorem privatum, qui sensa sua depromit, vel ut publicum Ecclesiæ Doctorem et Pastorem, qui eâ ratione, quam mox exposuimus, Ecclesiam universalem docet, seu quod ajunt, qui Ex Cathedra loquitur.

Et quamvis hanc distinctionem initiô explodere velle viderentur Gallicani Theologi tanquam, quod ajebant, novum commentum, ad declinandam objectionum quarumdam ex aliquibus Summorum Pontificum Epistolis hæresim sapientibus desumptarum vim et molestiam excogitatum. Attamen postquam Infallibilitatis Pontificiæ Patroni palam demonstrarunt, hanc distinctionem nec rationi contrariam, nec novam esse, quippe quæ cùm in Scripturis, tum in Traditione fundata sit*, ultrò eam Gallicani Theologi admittere coguntur; verùm eâ etiamnum admissâ, nihilominus contendunt etiam tunc Pontificem in definiendis fidei et morum quæstionibus esse ~~[illegible]~~ fallibilem. adeoque ~~Concilio~~ Ecclesiâ seu Conciliô inferiorem, utpote quod solum in hujusmodi quæstionibus definiendis "nec fallit, nec fallere possit. His prælibatis, ponitur

Conclusio.

385. Papa ex Cathedra res fidei et morum definiens est omninò infallibilis.

Prob. Conclusio 1º ex S. Scripturâ. Luc. 22. v 31. Christus Petrum hisce adoqui-

* vid. opus nostrum cui titulus Auctoritas et Infallibilitas Sum. Pontif. pp Stabilita p. editum an. 1738. cap. 1. pag. 1. et seqq.

tur: Simon, Simon, Ecce Sathanas expetivit vos, ut cribraret sicut Triticum, Ego autem rogavi pro te, ut non deficiat fides tua, et tu aliquando conversus confirma fratres tuos.

Ex hac Christi sententia istud conficimus argumentum. Idi censeri debent in definiendis fidei et morum quaestionibus infallibiles, pro quibus Christus oravit, ne eorum fides deficeret, quosque jussit confirmare fratres suos. Atqui Christus pro Petro et ejus Successoribus Romanis Pontificibus oravit, ne eorum fides deficeret, jussitque eos fratres suos confirmare: Ergo in fidei, et morum quaestionibus definiendis sunt infallibiles.

Major apud omnes Catholicos Theologos ultrò extra controversiam esse debet; nullus quippe eò mentem abducet, ut assere audeat, Christi orationem non fuisse exauditam: proinde manifestum est, quòd, qui in fide nunquam deficere possunt, eô ipsô donum infallibilitatis acceperint, atque quando fidei et morum quaestiones definiunt, fratres suos in eâ infallibiliter confirmare valeant.

At de minore litigant Gallicani Theologi, eamque variis argumentis impugnant; ut vel inde pateat, multa falsa esse uni vero contraria.

Launojus praecipuè in eo est, ut huic Sacrae Scripturae textui varias Patrum adaptet interpretationes*. 1.º dicit, orâsse Christum, ut Petrus veram fidem nunquam amitteret, quantumvis tentaretur à Diabolo, sed in ea, et gratiâ Dei tum demum perseve-

87

7 173

* part. 5. Epist. ad Bevillaquam.

390. raret. 2°. Ut Romana Ecclesia per Petrum fundata à fide nunquam deficiat. 3.tio Ut ipsa Sedes Petri, seu Apostolica Sedes in fide firma semper sit. 4.to Ut ipsa Universalis Ecclesia, vel etiam Universale Concilium nunquam erret in fide.

Verùm profectò hæ omnes interpretationes procul, ut nostram, qua textum hunc ad Petri Successores extendimus, eliminent, quin potiùs eandem mirum in modum stabiliunt. 1.a quidem verissima est, non enim in Petro aut ejus Successoribus excludit privilegium non errandi, cùm Ex Cathedrâ fidei quæstionem aliquam definiunt; neque sistit illud in solo Petrô, obestve, ne etiam ad illius Successores pro rectè gerendô Supremi Pastoris Officiô transeat. Secunda et tertia omninò sententiam nostram confirmant; ~~quibus~~ nobis enim, quemadmodum toti Ecclesiasticæ antiquitati, perinde est sive Ecclesia Romana, sive Sedes Apostolica, sive Romanus Pontifex nunquam à fide deficere posse dicantur, cum hæc tria idem sint, et utrobique summus Pontifex intelligatur. Quarta etiam vera est, si minimum intelligatur hæc Universalis Ecclesiæ, seu Concilii fidei certitudo à B. Petro tanquam à Capite ad cætera membra, Ecclesiamque universalem defluere, prout exposuêre SS. Patres.

2°. Matth. 16. v. 18. hisce Christus Petrum adoquitur: Tu es Petrus, et super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam, et portæ inferi non prævalebunt adversùs eam, et tibi dabo claves Regni coelorum &c.

Ex hoc textu breve hoc conficimus argumentum. Petrus hic et ejus Successores Romani Episcopi, quod omnium Catholicorum

est sententia, Norque S. praecedenti ostendimus, constituuntur Petra et fundamentum totius Ecclesiae, quam nullus unquam in fide error occupare, aut subvertere posit. Ergo non solùm ipse Petrus, sed et illius Successores, cùm, ut Petra et fundamentum Ecclesiae visibilis, eidem quidpiam de fide credendum proponunt, ipsi in fide firmissimi, adeóque infallibiles sint, omninò necesse est.

Ob. cons. Non alia ratione Christus hoc loco inconvulsam, et immotam in fide Ecclesiam pronuntiasse videtur, quàm quia supra Petrum, ejusque Successores fundanda esset. Ergò et ipsi in fide immoti sint, oportet. Sicut enim, "ruente fundamentò, totum etiam collabi superstructum aedificium necesse est, ita et totam Ecclesiam, his S. Petri Successoribus inaedificatam à verâ fide deficere contingeret: sicque contra Christi promissionem adversùs illam portae inferi essent praevalitura. Concludendum igitur ex hoc textu, Romanos Pontifices, prout Ecclesiae Petrâ et fundamentum sunt, seu quando Ex Cathedrâ fidei quaestiones definiunt, esse infallibiles.

3tio Joan. Ult. v. 17. Christus ter Petrum interrogat his verbis: Petre amas me? térque ipsi oves suas committit his verbis: Pasce oves meas.

Unde hoc deduitur argumentum: Per haec verba Petrus et ejus Successores totius Ecclesiae Pastores et Rectores à Christò sunt constituti: Ergo et Christus ipsi omnia contulit, quae in munere hoc ritè obeundò necessaria sunt. Subsum. Atqui

392. inter ea præcipuè est infallibilitas in fidei quæstionibus definiendis. Ergo p.

Prob. ant. subsumpti: Id maximè curare debet Spiritualis Pastor, ut fides in suo grege incorrupta servetur, sine qua impossibile est placere Deo. Ergo convenit omninò, ut cui suprema totius gregis Dominici cura incumbit, eâ dote præditus sit, ut oves, ipsius vocem sequentes, à venenosis errorum herbis se non infirondas, sed salubribus veritatis pascuis alendas securissimè confidant: adeoque sit infallibilis.

386. PP. Conclusio 2.do ex Constanti traditione, qua constat, Romani Pontifices supremam autoritatem, et in fidei definitionibus infallibilitatem semper in Ecclesia fuisse agnitam.

Primò Ecclesiæ Sæculo Clemens Romanus Pontifex, ortò Corinthi Schismate, gravem ad istius Ecclesiæ Rectores dedit Epistolam, quâ pax reducta est, ipsique in fide confirmati.*

Sæculò 2.do Quartodecimanorum errorem improbat Victor Papa, ejusque decisionem tota sequitur Ecclesia.*

Sæculò 3.tiò Novatianum damnat Cornelius Papa. Stephanus Rebaptizantes; Martianum quoque Arelatensem Episcopum hæreticum Sede sua dejicit. Dionysius Papa Dionysium Alexandrinum, ut fidei suæ et Scriptorum rationem ipsi reddat, adigit, prout testatur Athanasius Ep. de Dionysiò Alexandrinò.

Sæculò 4.tò Julius Papa Orientales Episcopos, qui Athanasium damnarant, reprehendit, eorumque judicium malum pro-

* Euseb. lib. 3. Hist. c. 12.

* Idem lib. 5. c. 24. et 25.

174 6

a. 177

nuntiat, quòd suam definitionem non expetâssent, aut requisivissent. Ecclesiasticâ, inquit ad hanc historiæ partiulam Socrates*, regulâ interdictum est, ne præter sententiam Romani Pontificis quidquam ab Ecclesiâ decernatur. Sozomenus autem asserit*, omne id, quod absque consensu Romani Pontificis fit irritum esse. Eodem sæculô Liberius Eustatium Sebastenum Episcopum Sede suâ pulsum, et Romanam Sedem appellantem restituit; neque huic restitutioni Thyanæa Synodus resistere ausa est, quamvis ut restitutus fuerit, ignoraverit*. Damasus Papa Conventum Ariminensem damnat, quòd eidem Romani Pontificis consensus non accessisset; definitque, formulæ fidei à Nicanâ Synodô præscriptæ unicè adhærendum esse. * Ipse etiam primus Apollinaris hæresim in Oriente exortam damnat; novamque fidei formulam edit, cui anathema adversus Macedonianos, et Apolinaristas adjungit, et ut omnes de hæresi suspecti subscriberent. Siricius Damasi Successor, Joviniamum hæreticum damnavit unanum his adhærentibus, atque toto terarum orbe execrabiles reddidit.

Anastasius Origenis errores toto quidem Oriente jam damnatos proscripsit, quam proscriptionem idcò totus Occidens suscepit*.

Sæculô 5.to Innocentius I. Sacrarum Scripturarum Canonem ipsum, quem etiamnum modò adhuc tenemus, determi-

* lib. 3. c. 9.

* lib. 4. c. 9.

* Basilius Ep. 74.

* Sozom. l. 6. c. 25. Rufinus lib. 11. c. 20.

* Hieron. Ep. ad Damach.

nat, de quo prius varia fuerant in Eclesiâ opiniones. Reprehendit Macedonia Episcopos, quod decisiones suas in materiâ etiamnum disciplinæ in dubium revocare ausi sint. Orientales à sua communione suspendit, donec Joannis Chrysostomi memoria pristinæ veneratiõni ab ipsis fuisset restituta. Acta Synodorum Carthaginensis, et Milevitanæ, quæ Pelagium et Cælestium damnarânt sibi ab illis transmissa confirmat, post quam confirmationem causam hanc demum finitam fuisse ait S. Augustinus. Zosimus Cælestium, qui simulatâ Orthodoxiâ illum circumvenerat, fraude detectâ solemni edictô damnat, quod ad Universos totius orbis Christiani Episcopos transmissum illicò ab illis acceptatum est, paucis, qui Pelagio et Cælestio adhærebant, exceptis, qui et ob id, ab omnibus rejecti fuêre. Cælestinus I. adversus Nestorium fert sententiam, eumque anathemate perstrinxit, nisi intra decem dies errorem suum damnaverit. Flavianus Constantinop. Episcopus à Pseudo-Synodô Ephesinâ damnatus ad Leonem Papam appellat; hæcque appellatio ut legitima, ac secundùm Canones facta, agnita fuit, ut patet ex Ep. Valentiniani Imperatoris ad Theodosium.

Cùm in Oriente orta esset controversia de divinitate S. Spiritûs, de eâ contentione Papa certior factus, scripsit ad Orientis Ecclesias Epistolam, qua

Q. L. 175

4178

præcipiebat, ut unacum Sacerdotibus Occidentis Trinitatem et consubstantialem esse, et gloriâ æqualem existimarent: quo factô, inquit Sozomenus,* singuli rebus ab Ecclesiâ Romanâ semel judicatis acquieverunt, et controversia finem habere visa est.

* lib. 6. c. 22.

Sæculô 6.tô S. Gregorius Magnus lib. 5. Ep. 54. ad Episcopos Galliæ jubet, ut, si inter ipsos de fide quædam controversia emerserit, eam ad ipsum referant, quatenus, inquit, valeat à nobis congruâ sine dubiô sententiâ terminari. Cum Romam Episcopi Italiæ, mandante Theodericô Italiæ Rege, ut, annuente etiam Symmachô Papâ, causam, quæ inter illum et Laurentium Antipapam agitabatur, dijudicarent, convenissent, tota inde commota est Ecclesia, ac undique Romam delatæ litteræ, quibus id judicium impediretur; Avitusque Viennensis Episcopus nomine omnium Galliæ Episcoporum gravem ad dictos Italiæ Antistites dedit epistolam, in qua illos reprehendit, quòd temerè causam illam examinandam suscipere ausi fuerint; non enim intelligere posse, ait, Episcopos Galliæ, quòd eminentior ab inferioribus possit judicari: non teneri Romanum Pontificem nisi soli Deo de suâ administratione rationem reddere; neque esse Gregis Pastorem proprium terrere. Ipsimet etiam Italiæ Episcopi, initiô Regi Theoderico morem gerere detrectati sunt, suggerentes ei,

396 Solius Summi Pontificis esse Synodum convocare, nec illum minorum judicio ullatenus subjacere; at certiores postmodum à Rege facti, ipsum quoque Papam Synodi convocationi assensum præbuisse, eidem acquievêre; nec tamen jam congregati Synodum habere ausi sunt, nisi priùs acceptâ à Symmachô Papâ illam inchoandi auctoritate ρ*.

Sæculô 9.nô Additamentum Filioque ab Ecclesiâ Gallicanâ Symbolô factum, tunc demum in fidei articulum transiit, cùm Romani Pontificis Decretô receptum est*.

Sæculô 12.mô tentata fuit unio cum Orientalibus, sed hæc ad finem perduci non potuit, quòd nollent Græci, quemadmodum Latini tuebantur, q Sedem Apostolicam non expectatô totius Ecclesiæ consensu, posse quæstiones fidei definire*.

Ex his, innumerisque aliis ex historiâ Ecclesiasticâ repetitis monumentis habetur, Summos Pontifices semper ab omnibus, tanquam suprema totius Ecclesiæ capita habitos esse, atque ad eos undique fideles recurrisse, ut ab ipsis super fidei, aliisque quæstionibus judicia expeterent; Ipsos hæreses damnasse, quibus ~~[illegible]~~, etiam non expectato totius Ecclesiæ consensu, damnatis, eorum judiciis omnes Catholici semper acquieverunt; verbô, habetur, ipsos in iis, quæ fidem tangebant, fuisse infallibiles.

Ob. 3tio Conclusio ex Conciliis.

387. De Conciliô Nicænô id solum habemus, quòd eidem Sylvester Papa per suos Lega-

* Bin. tom. 2. p. 284. b. Ennodius apolog. Conc. Rom.

a * Baron. ad an.

q agnoscere,

b * Spicileg. tom. 13. pag. 202. et seqq.

c * an. 325. Sub Sylvestrô Papâ.

tos praeserit, quorum unus fuit Osius Corduba- 397.
bensis Episcopus, prout apud Athanasium
asserunt Ariani.

In Sardicensi verò, cui laudatus Osius nomine Pontificis Romani praefuit; invenimus Papam nuncupari Ecclesiae Caput, ut pote, qui Petri Sedem teneat: quòd caeteri Episcopi teneantur ad ipsum omnia referre, et quòd quilibet possit post Episcoporum Judicium ad Sedem Apostolicam appellare ps. * an. 347. sub Julio Papa.

In Ephesinâ Synodô, ubi Nestorius damnatus est, 1.o fatentur Patres, se per Sacros Canones, et Papae Coelestini Epistolam coactos, contra Nestorium sententiam pronuntiare. 2.do Papae Legati, qui primùm post Nestorii damnationem ad Concilium venerant, sibi acta praelegi jubent, ab ipsis juxta praescriptam Coelestini Papae formulam confirmanda, in qua haec inter alia continebantur: Ad disceptationem si fuerit deventum, vos de eorum sententiis dijudicare debetis, non subire certamen. Acta deinde, rogantibus Concilii Patribus, confirmant. 3.tio dicitur S. Petrus Apostolorum Princeps et Caput fidei, columna, et fundamentum Ecclesiae Catholicae, qui claves accepit regni coelorum, atque ligandi, et solvendi potestatem accepit, qui semper in suis Successoribus judicium exercet. * In Epist. Synodicâ * an. 431. sub Coelestino Papa.

*In Concilio Chalcedonensi, declarat S. Leo Papa, se ei interesse in suis Vicariis, qui diudum in fidei praedicatione non dorsit, ut qui non possint ignorare; Patres Concii- * an. 451. sub Leone I.

398. hi alloquitur; quod ex antiqua traditione credat, non possint dubitare, quod cupiat.

Præcipit quoque iisdem Concilii Patribus, ut rejectâ penitùs disputandi audaciâ eam teneant de Sacramentô incarnationis Dominicæ doctrinam, quam plenissimè et luci distinctè post Evangelium, Prophetas, et Apostolos ad Flavianum declaraverat, et exposuerat in suâ ad Concilium Epistolâ.

2.do Declarant Summi Pontificis Legati, se mandatum Papæ pro manibus habere, quo statuebatur, ne Dioscorus in Concilio sederet, sed audiendus intromitteretur, Act. 1.a 3.tio Concilium declarat, super iis, quæ de Incarnatione Domini credenda essent, formam datam fuisse à Leone Papâ, Concilium eam sequi, atque Epistolæ Leonis omnes jam subscripsisse, nullâque, præter istam, aliâ fidei expositione opus esse; Act. 2.a

4.to Quòd Papa, per præsentem Synodum, unanum B. Petro, qui est Petra et Crepido Catholicæ Ecclesiæ Dioscorum nudarit tam Episcopatûs dignitate, quàm etiam et ab omni alienarit Sacerdotali ministerio; Act. 3.a 5.to Eos declarat hæreticos, qui non subscripsissent Epistolæ Leonis; Sicut Leo sic credimus, inquiunt, rectè Leo exposuit, Act. 4.a 6.to Concilium Epistolam Leonis confessioni Petri esse congruentem, et communem quamdam columnam existentem adversus perversè sentientes, eamque epistolis Cyrilli ad confirmationem rectorum dogmatum congruenter adaptare se profitetur. 7.mo Quamvis Conciliabulum Ephesinum hic repro-

batum fuerit, ordinatio tamen Maximi Antiocheni in eô facta rati habetur, quòd S. Leo Papa eum in suam communionem recepisset. Act. 10a. 399.

8vo A S. Leone Papâ confirmatur Concilium tantùm quoad ea, quæ fidem spectabant, religua promuntiat irrita; quæ proinde etiam ab Ecclesiâ rejecta fuêre.

*Concilium VI. Oecumenicum, Act. 4.tâ Summô applausu probat duas Epistolas, Agathonis unam, Concilii Romani alteram: in quibus apertis terminis continetur Suprema et infallibilis Romani Pontificis auctoritas fundata supra promissiones Christi tribus jam initio hanc in rem adductis S. Scripturæ textibus contentas, prohibetque, ne sententia Romani Pontificis ad ulterius examen vocetur. * an. 680. sub Agathone Papâ.

*In Concilio VII. Oecumenico non minùs apertè infallibilitas Pontificia stabilitur, Adrianique Papæ Litteræ divinæ Orthodoxiæ terminus nuncupantur. * an. 787. sub Adriano I.

*Synodus VIII. Oecumenica singulis ferè paginis infallibilitatem Pontificiam super promissiones Christi Petro factas fundatam declarat. Eandem sententiam semper temere subsecuta Concilia, ut ea volventi patebit. * an. 869. sub Adriano II. Papâ.

Prob. 4to. Ex ipsis Romanis Pontificibus; quorum testimonia summi ponderis esse debent, iisque fides certa omninò adhiberi debet, prout syna S. 2do in Responsione ad objectionem 7mam pag. 384. ostendimus. 388

*Innocentius I. Ep. ad Felicem laudatenum, quòd super dubiis idem consu- * ab an. 401. usque ad an. 417.

400. huerit tanquam caput, et apicem Episcopatûs, ut consulta, inquit, videlicet Sedes Apostolica ex ipsis rebus dubiis certum aliquid sequendum, faciendúmque pronuntiet. Bin. tom. i. Concil. pag. 583.

m * ab an. 417. usque ad an. 418. * Zosimus Epist. ad Patres Carthaginensis Concilii, Apostolicæ Sedis infallibilitatem in Christi promissione Petro facta firmatam asserit. Bin. to. i. Conc. pag. 611. a.

n * ab an. 422. ad an. 432. * Cœlestinus I. Sententiam fert in materiâ fidei adversùs Nestorium ad universam Ecclesiam directam. Bin. ibid. pag. 651.

o * ab an. 432. ad an. 440. * Sixtus III. Ep. ad Joan. Antiochenum ait, S. Petrum doctrinam suam successoribus suis transmisisse, eorumque doctrinam non magis errori esse obnoxiam, ac sit ipsamet S. Petri doctrina. Bin. tom. i. pag. 925. a.

p * ab an. 440. ad an. 461. * De S. Leone jam egimus supra in Concilio Chalcedonensi.

q * ab an. 468. ad an. 483. * Simplicius Papa Epist. ad Zenonem Augustum, Pertat, inquit, in Successoribus suis hæc eadem Apostolica norma doctrinæ, cui Dominus totius curam ovilis injunxit, cui se usque ad finem sæculi minimè defuturum, cui portas inferi nunquam prævalituras esse promisit, cujus sententia, quæ ligarentur in terris, solvi, pertatus est, non posse nec in cœlo.

r * ab an. 492. ad an. 496. * Gelasius Epist. ad Episcopum Dardi, et ad Faustum ait: Papam jus habere omnem et totam Ecclesiam dijudicandi, nec licere unquam de ejus judicio appellare, idque Canonibus Ecclesiæ esse sanctum.

s * ab an. 590. ad an. 604. * Gregorius Magnus lib. 4. Ep. 20. ait: Ex promissionibus Christi tribus illis Scripturæ textibus, sup. à nobis relatis, expressis totius

Ecclesia curam summum Pontificem gerere. Quod verò ad Episcopos Galliæ scripserit, jam supra argumento secundo retulimus.

*De Agathone supra in Concilio 6to Oecumenico egimus. * ab an. 678. ad an. 682.

*Nicolaus I. Ep. 8. ad Michaelem Imperatorem, ait Privilegia Sedis Apostolicæ Romanis Pontificibus collata fuisse ab eo, qui audivit à Domino confirma fratres tuos. Ipsos Concilia suâ autoritate firmare, suâ moderatione custodire, unde quædam eorum, quia consensum Romani Pontificis non habuerunt, valetudinem perdidisse. Sedis Apostolicæ autoritate nullam esse majorem, judicium illius à nemine retractari posse, nec cuiquam licere de ejus judicio judicare, siquidem ad illam de qualibet Mundi parte Canones appellari voluerunt, ab illâ autem nemini permissum esse appellare. * ab an. 858. ad an. 867.

*Joannes Papa VIII. Eadem, ac S. Gregorius paulò ante relatus, scribit ad Arclatensem Episcopum; atque ad Bulgarorum Regem scribens, ait, quod, sicut aqua non potest alibi tam munda et limpida, quemadmodum in fonte, unde originem pertrahit, inveniri: ita et fides, nunquam tam pura et nitida inveniri potest, quàm in Sede Romanâ. * ab an. 872. ad an. 882.

*Leo IX. Ep. ad Michaëlem Caerularium Patriarcham Constantinop. adductô celebri S. Luce textu Ego autem rogavi p. Erit, ergo, inquit, quisquam tanta dementia, qui orationem illius, ajus velle est posse, audeat in aliquo vanam putare? nonne à Sede Principis Apostolorum Romanâ videlicet Ecclesiâ, tam per eundem Petrum, quàm per hos Successores convicta atque * ab an. 1049. ad an. 1055.

402. expugnata sunt omnium hæreticorum commenta, et fratrum corda in fide Petri, quæ hactenus non defeit, neque in finem deficiet, sunt confirmata.

*aban. 1198. adan. 1206. Innocentius III. Ep. ad Episcopum Arelatensem: Majores, inquit, causæ, præsertim articulos fidei contingentes ad Petri Sedem referendas intelliget, qui novit, pro eo Dominum rogasse, ne deficiat fides ejus.

*aban. 1073. adan. 1087. *Gregorium VII. omittimus. nimis quippe apertum est, eum Sedis Apostolicæ jura non modò intra Suprema Spiritualis potestatis limites stare voluisse, sed et ad Principum temporaria extendi jussisse.

Neque etiam de Subsequentibus Summis Pontificibus nihil dicemus, ut pote quos nemo negat, confisse se Supremam habere in totam Ecclesiam auctoritatem, atque esse infallibiles.

389. CC. Conclusio 5.to Ex SS. Patribus.

1.o Ex Græcis. S. Irenæus lib. 3. advers. hæres. c. 3. ait: ~~Cert~~ Per traditionem Ecclesiæ Romanæ, quam ipsa ab Apostolis habet, et annuntiatam hominibus fidem, per successionem Episcoporum ad nos usque pervenientem confundi omnes hæreticos; et ad hanc Ecclesiam propter potiorem principalitatem necesse esse, omnem Ecclesiam convenire, hoc est, eos, qui sunt undique fideles, in qua semper conservata est ea, quæ ab Apostolis est, traditio.

Origenes in Ep. ad Rom. ait: Christum S. Petro Summam rerum in suâ Ecclesiâ contulisse, cum idum ejusdem Pastorem constituit.

Eusebius Cæsareensis, vel alius,

qui Subipsius nomine circumfertur, sermone in Non veni pacem mittere p. de S. Petro ait, quòd sit verè beata Petra, in qua et Ecclesia posita.

S. Gregorius Nazianzenus orat. 7. S. Petrum Ecclesiæ columen nuncupat. Et orat. 26. Vides, inquit, quemadmodum ex Christi Discipulis, magnis utique omnibus et excelsis, atque electione dignis hic petra vocetur, atque Ecclesiæ fundamenta in fidem suam accipiat. Hocque ~~idem~~ privilegium ad illius successores pertansisse agnoscit in carmine de Veteri et novâ Româ: fides, inquit, vetustæ /: Romæ :/ recta erat jam antiquitùs, et certa perstat nunc, item nexu piò quodumque labens Sol devinciens; ut universi Præsidem mundi decet, totam colit, qui Numinis concordiam.

S. Joannes Chrisostomus hom. 53. in Matth. docet, quòd S. Petrus constitutus sit vertex et Coriphæus Collegii Apostolici, quòd ipsi claves Regni cœlorum à Salvatore tradita fuerint atque fide ad regendam Ecclesiam immobili fuerit imbutus, hæcque prærogativa ad suos successores pertransierit.

S. Cyrillus Alexandrinus Dialog. de Trinitate in illa verba Tu es Petrus p. Per annotationem, inquit, nihil aliud, quàm inconcussam et firmissimam Discipuli fidem vocavit, in qua Ecclesia Christi ità fundata

8 162

 ~~est~~ et firmata est, ut non laberetur et est inexpugnabilis inferorum portis in perpetuum manens. Item apud S. Romam in Catena, secundum eam promissionem, inquit, Ecclesia Apostolica Petri ab omni seductione, et haereticâ circumventione manet immaculata.

Theodoretus Ep. 116. ad Renatum Ecclesiae Romanae Presbyterum, ait, Sedem Apostolicam habere omnium totius Orbis Ecclesiarum principatum multis nominibus, et ante omnia ex hoc, quod ab haereticâ labe immunis mansit, nec ullus contraria sentiens in idâ sedit, sed Apostolicam gratiam integram servavit.

Flavianus Episcopus Constantinopolitanus Epist. ad S. Leonem Papam contra Eutyletem, rogat eum, ut Eutychetis damnationem regulariter factam confirmare, et decernere dignetur, quo removebitur, inquit, Concilium, quod fieri divulgatur.

Ex Latinis S. Cyprianus lib. de unit. Eccles. ait, quod, qui Cathedram Petri, super quam fundata est Ecclesia, deserit, in Ecclesiâ non sit. Idem repetit Ep. 39. Et Epist. 55. ait, ad Romanam Sedem perfidiam non posse habere accessum. Et Epist. 52. asserit, idem esse, cum Romanô Pontifice communicare, ac cum Ecclesiâ Catholicâ.

Optatus lib. 2. cont. Parmen. inter alia dicit, portas inferorum claves Petri nunquam devicturas. Et lib. 7. ait, Petrum claves regni coelorum caeteris communicandas solum accepisse. Di-

116

xerat jam lib. 1. Melchiadis Papæ Sententiâ, qua Cæcilianum à Donatistis Sede Carthaginensi pulsum innocentem pronuntiaverat, judicium fuisse clausum.

S. Ambrosius Variis locis Papæ infallibilitatem tuetur, ut Ep. 11. ubi ait: Romanam Ecclesiam esse Caput Imperii Romani, et Sanctam Apostolorum fidem tenere. lib. 4. et 5. de fide ad Gratianum Imperatorem, Petrum esse firmamentum Ecclesiæ. In Psal. 40. Quòd ibi sit Ecclesia, ubi Petrus est, ubi autem Ecclesia est, ibi nulla mors sit, cùm ille ipse sit, cui Christus dixit: Et portæ inferi &c.

S. Hieronymus Ep. ad Damasum Papam, Apud vos, inquit, solos incorrupta servatur Patrum hæreditas..... Ergo nullum primum nisi Christum sequens, Beatitudini tuæ, id est, Cathedræ Petri communione consocior, super illam Petram ædificatam Ecclesiam scio..... Decernite, si placet, et non timeo tres hypostases dicere.

S. Augustinus Serm. 2. de verbis Apostoli, post Sedis Apostolicæ judicium Pelagianorum causam finitam esse asserit. Et lib. 2. advers. Julian. Quid adhuc quæris examen, inquit, quod apud Apostolicam Sedem jam factum est. Ep. 162. de Cæciliano agens, Poterat, inquit, non curare conspirantem multitudinem inimicorum, cùm se videret Romanæ Ecclesiæ, in qua semper Apostolicæ Cathedræ viguit Principatus, esse conjunctum. Et in Psalmo contra partem Donati, Numerate, inquit, Sacerdotes vel ab ipsâ Sede Petri, et in ordine illo Patrum, quis, cui successit, videte, ipsa est

 petra, quam non vincunt Superba inferorum portæ.

Possidius in vita S. Augustini c. 18. Innocentii et Zosimi Sententiam contra Pelagium et Cœlestium latam Ecclesiæ judicium nuncupat, quod audiens, et sequens Honorius Imperator, suis eos legibus damnatos haberi debere constituit.

S. Prosper in suo poëmate ait: Sedem Apostolicam primam Pelagii et Cœlestii hæresim damnâsse, non quòd ipsius sententiam Concilia Africana non processerint, sed quòd præcipuam suam auctoritatem à damnatione per sanctam Sedem factâ acceperint, decernendo id quod Roma probaret.

Cassianus lib. 3. de Incarn. c. 12. Interrogemus, inquit, Summum idum, et inter Magistros Magistrum, qui Romanæ Ecclesiæ gubernaculum ~~[illegible]~~ regens, sicut fidei habuit, ita et Sacerdotii Primipatum.

S. Petrus Chrysologus Ep. ad Eutychen, In omnibus hortamur te, ut iis, quæ à Beato Papâ Romanæ Urbis Scripta sunt, obedienter attendas; quoniam Beatus Petrus, qui in propriâ Sede vivit, et præsidet, præstat quærentibus veritatem; nos enim pro studiô pacis et fidei extra ~~[illegible]~~ consensum Romanæ Civitatis Episcopi causas fidei audire non possumus.

Gennadius in Catal. Innocentius, inquit, Urbis Romæ Episcopus scripsit decretum Occidentalium, et Orientalium Ecclesiarum adversùs Pelagianos datum, quod posteà Successor ejus latiùs promulgavit.

67

S. Bernardus Epist. 190. ad Innocentium II. Dignum, inquit, arbitror ibi /: in Sede Apostolicâ :/ potissimum re-

Sarciri damna fidei, ubi non potest fides sentire defectum. 407

Pluribus Patrum et omnium subsequentium ~~temporum et totius~~ Doctorum et Scriptorum Scholasticorum, etiam gallicanorum Theologorum testimoniis adducendis supersedemus, cùm ultrò moderni gallicani Theologi fateantur eos sibi minimè favere, atque S. Thomæ Scholasticorum Principis sententiam sequi, à cujus in re præsenti sententiâ, salvâ, quæ ipsi debetur, reverentiâ, licet discedere, inquit Turnelius celebris gallicanus nostri ævi theologus.

Pb: Conclusio 6.to Selectis testimoniis Ecclesiæ gallicanæ, quod sanè firmissimum pro nostrâ sententiâ debet esse argumentum, ut potè in ipsâ Ecclesiâ idâ quæ tantis viribus modò contrarium tueri videtur, petitum, et ex quo vel saltem id evincimus, gallicanos videlicet Præsules et Theologos Majorum suorum deseruisse sententiam, quando Papam errori obnoxium tuentur. 390.

Sæculo 14.to Natio Gallica in Scriptô quodam adversùs Bonifacium VIII. Clementi V. oblatum sic loquitur: * Non quæritur de hæresi Papæ quondam ut Papæ, sed ut privatæ personæ, nec ut Papa potuit ~~errare~~ esse hæreticus, sed ut privata persona, nec unquam aliquis Papa ut Papa potuit ~~errare~~ esse hæreticus. Et ideò cùm de ejus mortui hæresi quæritur, non habet congregari Concilium generale; estis enim vos Pater Sanctissime Jesu Christi Vicarius totum Corpus Ecclesiæ repræsentans, qui claves regni Cœlorum habetis:

* Histoire du Different pag. 399. et 413.

 rei congregatum totum Concilium generale sine vobis, et nisi per vos posset cognoscere.

Eodem Saeculo Petrus Bertandus Episcopus Augustodunensis nomine omnium Gallia Episcoporum de origine jurisdictionis quæst. 2. et 3. ait; jurisdictionem spiritualem à Christo immediatè Petro, et ipsius Successoribus fuisse traditam, à quibus in alios derivatur. Eamque jurisdictionem Papam habere sine limitatione loci et personarum; ideò omnes Christianos, ubiumque sint, debere ei obedire.

Eodem iterum Saeculo Stephanus Episcopus Parisiensis de consilio Decani et Capituli Cathedralis Ecclesiæ suæ, Guilielmi Archiepiscopi Viennensis Theologiæ Professoris, vinginti trium in Theologiâ Doctorum, et triginta novem Faultatis Parisiensis Baccalaureorum sic de Ecclesiâ Romanâ disserit: * Nos igitur attendentes cum eis /: Decanô nempe Capitulô, et cæteris mox nominatis :/ quòd Sacrosancta Romana Ecclesia fidelium omnium Mater et Magistra in firmissima Petri Christi Vicarii confessione fundata, ad quam velut ad universalem regulam catholicæ veritatis pertinet approbatio doctrinarum, et reprobatio, declaratio dubiorum, determinatio tenendorum, et confutatio errorum &c.

Sub ejusdem Saeculi finem Universa Faultas Theologica Parisiensis sic loquebatur: * Quidquid dicturi sumus totum correctioni, et judicio Sedis Apos-

6 * Hist. Universit. Parisien. ad an. 1324. per Bulæum.

C * ibid. ad an. 1387.

tolicæ, et Sedentis in eâ Summi Pontificis humiliter Submittimus; dicentes cum Beatô Hieronymô, hæc est fides, quam in Ecclesiâ catholicâ didicimus, in qua, si quid minus peritè aut minùs cautè, fortè aliquid positum est, emendari ~~ab te~~ petimus à te /: Papam adoquuntur :/ qui Petri fidem et Sedem tenes; non ignoramus enim, sed firmissimè tenemus, et nudatenùs dubitamus, quòd Sancta Sedes Apostolica est illa Cathedra Petri, super quam, eodem Hieronymô teste, fundata est Ecclesia; et sicut dicit Cyprianus: de qua Sede in personâ Petri Apostoli in eâ Sedentis dictum est: Petre rogavi pro te, ut non deficiat fides tua. Hæc est igitur, ad quam determinatio fidei, et approbatio veritatis Catholicæ, ac hæreticæ impietatis detestatio maximè pertinet.

*Anno 1579. Celebratus fuit Conventus Cleri Gallicani Meloduni, ubi Art. 1.º hæc leguntur: Operam dabunt ii, quibus hæc cura demandata est, Episcopi scilicet, et eorum Vicarii, ut in omnibus Synodis tam Dioecesanis, quam Provincialibus, omnes et singuli tum Clerici, tum Laïci, amplectantur, et apertâ professione eam fidem pronuntient, quam Sancta Romana Ecclesia Magistra, columna et firmamentum veritatis profitetur, et colit. Ad hanc enim, propter suam principalitatem, necesse est, omnem Ecclesiam convenire.

Anno 1625. Iterum Clerus Gallicanus congregatus in monitis ad Archi-

* Anciens Memoires du Clergé. tom. 1. p. 438.

 episcopos, et Episcopos Galliæ, art. 137. hæc de auctoritate Papæ tradit: Venerabuntur etiam Sanctum Patrem nostrum Papam Ecclesiæ Universalis Caput visibile, Dei in terris Vicarium, Episcopum Episcoporum et Patriarcharum, denique Beati Petri Successorem, à quo Apostolatus, et Episcopatus sumpserunt exordium, ac super quem Christus fundavit Ecclesiam illi claves cœli tradens, cum infallibilitate fidei, quam non sine miraculo immotam in ejus Successoribus perseverasse usque in hodiernam diem cernimus.

Hæc monita, quæ cum privilegio Parisiis vulgata fuerunt, per Antonium Etienne, seu Stephanum equidem postmodum suppressa fuerunt, ob defectus obiquos, quos Cardinalis Rupefucaldius in opusculo, cui titulus Désaveu p. seu Rejectio p. editò an. 1626. indicavit. At articulus iste 137. nunquam à Clero Gallicano fuit improbatus: è contrà prava suppressionis illorum causa fuit, quòd quædam continerent, quæ auctoritati Summi Pontificis derogare videbantur, ut pote quibus Synodus Provincialis unicus causarum Episcopalium Judex constituebatur, prout manifestum est ex pag. 11. 18. et 84. horum monitorum, et quæ sunt loca à Cardinali Rupefucaldio notata et improbata.

Certè horum monitorum Articulus ille 134. non erat aliud præter conscautionem quamdam adea, quæ paulò antè, annò videlicet 1612. in Galliâ gesta fuerant occasione Libri de Ecclesiastica et

politiâ potestate adversus Supremam et infallibilem Romani Pontificis auctoritatem à Richeriô Universitatis Parisiensis Syndicô vulgati. * Liber iste videlicet primùm à Provinciarum Senonensis, et Aquensis Episcopis damnatus est. Deinde Richerius ipse auctoritate Regiâ et Decretô facultatis depositus fuit à Syndicatu ejusdem facultatis, atque libellum suum retractare, neuon Sedis Apostolicæ infallibilitatem agnoscere coactus sequenti Declaratione: Protestor, et declaro, me semper voluisse, atque etiamnum velle, et me ipsum et libellum præfatum, et quæcunque ejus propositiones, earumque interpretationem, omnemque meam doctrinam Ecclesiæ Catholicæ Romanæ, et Sanctæ Sedis Apostolicæ Judicio submittere, quam Matrem et Magistram Ecclesiarum, et infallibilem veritatis Judicem agnosco.

* Spondanus ad an. 1612. n. 3.

* Anno 1653. Iterum Clerus Gallicanus ad Innocentium X. scribit duas epistolas, quarum priori subscripserunt 85. Episcopi. Inter cæteras autem sic loquuntur. Majores causas ad Sedem Apostolicam referre solemnis ~~mos est~~ Ecclesiæ mos est, quem fides Petri nunquam deficiens perpetuò retineri pro jure suo postulat. Æquissima huic legi obsequentes &c.

* Mémoires du Clergé tom. i. pag. 222.

* In altera verò, cui 30. Episcopi subscripserunt: Judicia, inquiunt, pro sanciendâ regulâ fidei à summis Pontificibus lata super Episcoporum consultatione, divinâ æquè ac summâ per universam Ecclesiam auctoritate nituntur, cui Christiani omnes ex officio, ipsius

* Recueil des Bulles. pag. 88.

412 mentis obsequium præstare teneantur.....
Innocentio X. cujus Ore Petrus locutus est,
ut Leoni I. acclamabat quarta Synodus, hanc
divinam lauream gratulati, Sacros inter Ec-
clesiæ fastos, quod olim de Synodis Oecume-
nicis fieri solitum, Constitutionem istam
ab eo editam lubentes ex animo reponemus.

Plura testimonia Ecclesiæ Gadicanæ
pro Supremâ et infallibili auctoritate Sum-
mi Pontificis, qui desiderat, ea videre po-
terit in Opere nostro. cui titulus, Auctori-
tas et infallibilitas Summorum Pontificum
Stabilita &c. a pag. 249. usque ad pag. 280.

4186

391. Pb. 7mo Conclusio Rationibus Theo-
logicis. 1.o Quia Christus Ecclesiam su-
am adversus omnes errores præmunire at-
que in fide immotam reddere voluit. Ergo
convenientius videtur, ut hujus infalli-
bilitatis centrum in S. Petrô, ejusque
Successoribus collocârit, qui eam toti Eccle-
siæ per universum orbem dispersæ com-
municarent, quàm ut à consensu om-
nium totius mundi Episcoporum pende-
re faceret.

Pb. cons. Ad fidem tuendam, er-
roresque destruendos necessaria sunt remedia
prompta et præsentia; si enim hæc lentô pe-
de incedant, necnon nisi cum Summâ dif-
ficultate haberi possint, priusquàm malo
occurratur, error vires sumit, seque dila-
tat, ac non nisi deinde magnô labore evel-
li ac extirpari potest. Atqui Summo-
rum Pontificum auctoritas semper præ-
sens est, sive in eorum personâ, sive Se-
de vacante scilicet, in ipsamet Sede Apos-
tolicâ, seu Ecclesiâ Romanâ: cùm è con-
tra Conciliorum Oecumenicorum convoca-
tio Summis difficultatibus involvatur,

P. III.

ac impedimentis, præsertim nostrâ ætate: longè autem difficilius sit, totius mundi Episcoporum assequi assensum, nisi supremaquædam auctoritas eos prævenerit, atque in uniformi doctrinâ adunaverit. Ergò p.

2.º Quia, ut fusè jam demonstravimus, ipsique fatentur Adversarii, nihil unquam à Summis Pontificibus toti Ecclesiæ tanquam fide divinâ credendum propositum fuit, quod non ab omnibus fidelibus, etiam Oecumenicis Conciliis, summâ cum reverentiâ susceptum fuerit, procul, ut in eo quidpiam reformandum esse censuerint. Ergò nihil vetat, credere, Spiritum Sanctum, qui per septemdecim sæcula Summis Pontificibus res fidei definientibus sic adfuit, ut eorum judicia à Conciliis etiam Oecumenicis ~~alio~~ omnibusque fidelibus tanquam fidei omninò consona suscepta fuerunt, imposterùm etiam iis adfuturum, ut irreformabiliter, et infallibiliter judicent; adeò ut frustrà laborare meritò censeantur ii, qui neglectâ utilitate Religionis hui incerto vel potiùs unquam futuro malo remedium parare curant.

3.º Quia omnis nova opinio in materiâ fidei, et Religionis pro suspectâ haberi debet, atque illi duntaxat sententiæ adhærendum est, quæ antequam illa nova opinio introduceretur, tradita, atque tanquam certa habita fuit in Ecclesiâ. Atqui opinio, quæ tenet, Pontificem è cathedrâ loquentem esse erori obnoxium,

B 2
2 184

414 nova est, et ultra Seculum Decimum quintum, quò primum enata est, non protenditur, prout hactenus adduta monumenta et testimonia apertè demonstrant, ea verò Sententia, quæ tuetur, eum esse infallibilem, Semper universaliter tradita fuit in Ecclesiâ, ac etiammnum traditur, si Gallicanos Theologos aliquos excipias. Ergò p.

Minorem ipsemet nobiscum fatetur Gersonius contrariæ opinionis velut parens, dum lib. de potestate Ecclesiæ consultatione 12. de nostrâ Sententiâ sic loquitur: ante celebrationem sacrosanctæ hujus Constantiensis Synodi sic occupaverat plurimorum mentes litterarum magis, quàm Litteratorum ista traditio, ut oppositorum Dogmatizator fuisset de haereticâ pravitate vel notatus vel Damnatus.

4to. Quia si Judicium Papæ in fidei quæstionibus non est ireformabile, nisi eidem totius Ecclesiæ consensus accesserit, sequitur, non esse de fide Spiritum Sanctum æquè à Filio ac à Patre procedere; neque Græcos, qui id non credunt, esse Schismaticos, aut haereticos. Atqui p. Ergò p.

Ob. Sequela Maj: Quia illud additamentum Filioque Seculo 9no auctoritate Papæ Symbolo Constantinopolitano factum nunquam admisit Ecclesia Græca, quæ tunc temporis potiorem Ecclesiæ partem faciebat: imò quia Constantinopolitana Synodus ~~vetuerat~~ sub anathematis pœnâ vetuerat, ne quis-

quam aliquid adderet, aut demeret huic 415
suo Symbolo, Romanum Pontificem
Latinamque Ecclesiam prævaricationis
insusarunt Græci, atque lato à Synodo
Constantinopolitana anathemate per-
stricto pronuntiarunt. Ergo vel
in Romano Pontifice agnoscenda est
suprema quædam, et infallibilis in re-
bus fidei decernendis auctoritas, vel
ad Græcorum patres accedendum, dicen-
dumque, hanc additionem non facere
articulum fidei, Græcosque, qui eam
respuunt, verè esse Catholicos.

Solvuntur Objectiones. 392.

Ob. 1.° Scriptura toti Ecclesiæ tri-
buit infallibilitatem Matth. 16. Super
hanc petram ædificabo Ecclesiam meam
et portæ inferi non prævalebunt adver-
sus eam. Matth. ult. Ecce ego vobis-
cum sum omnibus diebus p. Joan.
14. Ego rogabo Patrem et alium Para-
clitum dabit vobis Spiritum veritatis p.
Item, Paraclitus autem Spiritus.....
ille docebit vos ~~omnem veritatem~~ om-
nia. c. 16. Ille Spiritus veritatis doce-
bit vos omnem veritatem. Ergo non
Pontifici Romano p.

Resp. Verum esse totam Ecclesiam
suo Capiti Romano Pontifici coaduna-
tam esse infallibilem; Si enim Papa
est infallibilis, quis neget, Ecclesiam in
unam cum ipso conspirans sententiam,
esse infallibilem? At quid hoc senten-
tiæ nostræ officiat non videmus. Ergò
ad nihil sunt adducti textus.

416. Ob. 2.do Concilia fuerunt necessaria
393. ad finiendas motas de fide controversias.
prout varia Patrum et Romanorum Pontificum testimonia et facta demonstrant.

Item Concilia Pontificum judicia quandoque retractaverunt, ac novo examini subjecerunt, ut patet ex Concilio Ephesino, ubi act. 1. Celestini Papæ Epistola ad Nestorium lecta est, et probata tanquam fidei consona. Ex Concilio Chalcedonensi, ubi act. 2. lecta etiam fuit S. Leonis Epistola ad Flavianum, necnon solemni totius Synodi judicio comprobata. Idem factum in Concilio VI. circa Agathonis Epistolam, in qua Monothelismus damnabatur.

Denique, ut irreformabile sset Summi Pontificis judicium consensus Episcoporum semper fuit necessarius: ubi disceptatio de quæstione aliqua est, inquit S. Irenæus lib. 3. c. 3., recurrendum est ad antiquissimas Ecclesias, et ab iis sumendum, quod certum, et re liquidum est. Tertullianus verò lib. de præscript. c. 21. et 26. ait, percurrendas esse Ecclesias quas Apostoli fundarunt, earumque doctrinam esse veram, quæ cum iis Ecclesiis conspirat. Julius I. Epist. ad Orientales, Etsi, inquit, solus sim, qui scripsi, non meam tamen solius sententiam scripsi, sed omnium Italorum, et omnium in his regionibus Episcoporum.

Resp. Hac sua objectione nihil evincunt Adversarii, ut vel leviter attendenti patet. Concedimus ultrò, Con-

cilia superflua ac inutilia non esse, sed quandoque omninò necessaria. Cùm enim Papæ infallibilitas non sit fundata super revelationes ac inspirationes propheticas, sed supponat occurrentis quæstionis discussionem, necnon Traditionis examen; quò gravior circà fidei quæstiones oritur difficultas, eò major requiritur earumdem disquisitio, examen, et discussio. Undè quamvis Sedes Apostolica, quæ nunquam à rectô fidei tramite deflexit, semper apud se vivam quamdam Traditionem conservet, minimè tamen obesse videtur, quin, cùm novæ exoriuntur quæstiones, ea, quæ ipsi Summi Pontifices, Ecclesiæ Patres, ipsa denique Concilia, sive Generalia sive Particularia, desuper statuerunt, expendere teneantur: Verbô, Summi Pontifices ea ipsa hîc implere debent, quæ ipsa Oecumenica Concilia, antequam fidei aut morum quæstionem aliquam definiant, adimplent. Ergò Romanorum Pontificum prudentiæ tribuendum, quòd interdùm Concilia convocârint, vel cogi permiserint, in quibus omni adhibitâ diligentiâ subortæ quæstiones examinarentur. Ipse Gregorius Papa VII. qui ex institutô definivisse videtur Summorum Pontificum infallibilitatem, necnon à multis Gallicanis Theologis tanquam primus hujus sententiæ Auctor existimatur, multa convocavit Concilia; quod exemplum ipsius Successores variis temporibus secuti sunt.

2°. Concilia interdùm celebrata fuerunt, non ut fidei quæstiones expenderentur, verùm solummodò, ut turbæ ab Hæreticis in Ecclesiâ excitatæ sedarentur, fidelium que et Episcoporum mentes ad unitatem doctrinæ et spiritûs revocarentur.

3°. Celebrata insuper fuêre Concilia, ut per viam, quæ majorem auctoritatem pro se ferret, Hæretici ad veritatem revocarentur, aut majori celebritate et veluti pompâ ipsorum pervicacia convinceretur, ejsque ostenderetur, non aliter sentire totius Orbis Episcopos, quàm ipsum Ecclesiæ Caput doceret. Eadem quidem semper erat auctoritas intrinseca, ut Schola loquuntur, at extrinsecè major apparebat in Conciliis, et proindè magis apta ad Hæreticos pertinaciæ convincendos.

4°. Denique id attendant, velimus, Adversarii nostri, quòd, cùm Concilia Oecumenica nullam hæresim potuerint extinguere, Summi Pontifices è contrà quamplurimas in ipso earumdem ortu, et sine Conciliis suffocârint, ut Apollinaris, Pelagii, Semi-Pelagianorum, Berengarii, Guilberti Porretani, Petri Abaëlardi, Almarici; Aliasque pene innumeras, quarum Auctores aut Romanorum Pontificum decisionibus se subjecerunt, suosque errores detestati sunt, aut, damnatis semel à S. Sede eorum dogmatibus, omnibus abominationi fuêre. Undè meritò concludimus cum Barlaam Episcopô Hierapolitanô Epist. ad quendam

animum Graeum, ubi, Non, inquit, eò quòd sit majoris auctoritatis, et magis possit generale Concilium, quàm Apostolica Sedes, Generalia aguntur Concilia, sed quia inuidentes questiones difficiliores sint, et majoris indigeant discussionis.

Ad 2dum negamus propositionem. Certè quo ad illius fulimentum adduuntur Concilia, minùs illam probant. Concilia etiam posteriora priorum Oecumenicorum Conciliorum Decreta Fidei consona esse decernunt, eáque probant; quis autem dicat ex hoc, hujusmodi Conciliorum Decreta à posterioribus retractari, ac novo examini subjici.

Ad 3tium Adduta testimonia Pontificum et Patrum, et, si mavis, Sexcenta alia verissima sunt, nec tamen Romanorum Pontificum infallibilitati vel minimum quid officiunt, ut patet: unde non videntur esse ad rem. Romani Pontifices, cùm Fidei questionem definiunt, semper antiquarum Ecclesiarum Traditionem sequuntur, ipsorumque sententia eo ipso, quòd sit infallibilis, semper est omnium Ecclesiarum Sententia, utpote quam absque ullâ cunctatione semper amplectantur.

Objiciuntur 3o. Duo historia Ecclesiastica monumenta. 1o Controversia Quartodecimanorum excitata circà finem Sancti 2di aut initium 3tii qui Victoris Papa definitioni circà celebrationem Paschatis se se opposuerunt. 2o. 394.

factum Cypriani et Africanorum Episcoporum, quibus se adjunxêre Firmilianus et Asiatici Episcopi; qui Stephano Papa recipienti, ne Hæretici ad Ecclesiam venientes rebaptizarentur, nullâ ratione deferre voluerunt.

Resp. 1.º Miramur, cur adversarii nostri non etiam exempla Hæreticorum, qui Summorum Pontificum Decretis se subdere noluerunt, nobis objiciant; enimverò æquè firmum ab illis petitur argumentum ad infirmandam Papæ infallibilitatem, ac ab istis Africanis et Asiaticis Episcopis, quos hi nobis objiciunt; et hi quippe in errore versati sunt. Quartodecimani namque post Concilii Nicæni definitionem, quod Victoris Papæ sententiam adoptavit, ab omnibus rejecti sunt. Rebaptizantes verò post Decretum plenarii illius Concilii, de quo S. Augustinus fecit mentionem, omnibus fuêre abominationi.

2.º Nec Victor Papa nec Stephanus absolutô Decretô quæstionem hanc prosecuti sunt, sed re inter minas tantùm cohibitâ ferendis censuris abstinuêre, intervenientibus Episcopis Orthodoxis, Irenæô, quantùm ad Quartodecimanos; et aliis Episcopis, quantùm ad Rebaptizantes.

3.º Hæ Controversiæ velut disciplinam tantùm spectantes ab ambabus partibus respiciebantur; prout fusè ostendimus in sæpè citatô Opere nostrô de Infallibilitate p. c. 10. à pag. 281. ubi vide. Adeoque quæstionem, quam nunc agitamus, non tangunt; de infallibilitate enim Summi Pontificis in Fidei et morum quæstionibus nobis sermo est,

non verò de iis, quæ disciplinam duntaxat spectant.

Ob. 4º. Illustriores Ecclesiæ et Academiæ non agnoverunt infallibilitatem Summorum Pontificum. Ergò &c. Prob. ant. 1º. Ecclesia Græca, quamvis adhuc sæculo 12mo Romani Pontifici Primatum quidem agnoverit, minimè tamen ejus infallibilitatem. —

2º. Africana Ecclesia in causâ Rebaptizantium, et Appiarii Sacerdotis Papæ definienti obstitit. 3º. Ecclesia Germanica, cujus Imperator Friderius II. an. 1245. appellavit ab Innocentiô Papa ad Concilium generale. 4º. Gallicana Decretis Conciliorum Constantiensis et Basiliensis adhæret, quæ Papam et errori obnoxium, et Concilio inferiorem pronuntiârunt. Eadem Ecclesia mentem suam an. 1682. in Comitiis generalibus declaravit. Item per Reges suos sæpiùs à Papâ ad Concilium appellavit. Et Parisiensis Academia cæterarum Mater non agnosit Summi Pontifici infallibilitatem. Ergò &c.

Resp. Ad 1 num Neque Turcæ, neque Hæretici agnosunt Summi Pontifici nostri infallibilitatem; an indè ipse minùs infallibilis est? minimè profectò. Ergò ex eo, quòd Græcana Ecclesia, quæ tunc Schismatica erat jam, prout nunc etiamnum adhuc est, non agnoverit Summi Pontifici infallibilitatem, non sequitur, eum non esse infallibilem, quemadmodum etiam ex eo, quòd Hæretici non modò illius infallibilitatem impugnent, sed

et primatum, non sequitur illum infallibilem non esse, nec primatum in Ecclesiâ tenere.

8.190

2º. Ex eo id habemus, scilicet saltem Ecclesiam Latinam illius infallibilitatem agnovisse; id enim Ecclesiæ Græcæ cum Latinâ unionis obstaculum fuit; quòd videlicet Græci cum Latinis supremam et infallibilem illius in Ecclesiâ auctoritatem agnoscere renuerent.

Ad 2dum primùm jam respondimus, quoad Rebaptizantes. De Appiariô egimus suprà c. 3. §. 3.

Ad 3tium Ista, ut et aliæ Regum et Principum, si quæ fuerunt, appellationes non fuerunt factæ in materiâ fidei, adeoque quamvis eas legitimè factas fuisse probari posset, nihil tamen contrà nostram sententiam evincerent. Solæ Hæreticorum appellationes à Summô Pontifice ad futurum Concilium inveniuntur factæ in materiâ fidei: liberum proinde Adversariis relinquimus ab iis adversùs sententiam nostram patrocinium petere.

5.181

Ad 4tum Concilium Constantiense sensum suæ definitionis ad solas Schismatis circumstantias, ubi scilicet multi de Papatu contendunt, restrinxit; præterquam quòd cùm hanc definitionem edidit, necdum Oecumenicum fuerit. Synodus verò Basileensis velut Conciliabulum rejecta est à Conciliô Florentinô Oecumenicô, universâque Ecclesiâ. Vid. Opus nostrum de Infallibilitate Sum-

morum Pontificum Cap. 8. à pag. 178. ubi hæc fusè tractavimus.

Declarationem Cleri Gallicani an. 1682. quòd attinet, ea ab omnibus cæterarum nationum Theologis contemnitur velut futilis et illegitima. Præterquam enim, quòd ibi partium studia præcipuas partes tenuisse videantur, manifestam contradictionem, ut reliqua absona taceamus, continet. Sic enim Declaratio illa propositione 4tâ loquitur: In fidei quæstionibus præcipuas esse Summi Pontificis partes, ejusque decreta ad omnes et singulas Ecclesias pertinere. Et tamen irreformabile non esse ejus judicium, nisi Ecclesiæ consensus accesserit. Quòd si enim Romani Pontificis judicium de re fidei latum irreformabile non est, nisi postquam Ecclesia pro suâ auctoritate ei consensum præbuerit; profectò manifestum est in quæstionibus fidei non Summi Pontifici duntaxat præcipuas esse partes, sed potiùs cæterorum Ecclesiæ Episcoporum, quippe quorum auctoritate et consensu firmum ac irreformabile primùm fit Romani Episcopi judicium; atque sic etiam major in dijudicandis fidei et morum quæstionibus Summo Pontifici auctoritas non relinquitur, quàm novissimo cuilibet privato Episcopo; hic enim, si quamdam fidei quæstionem definiat, atque velut fide Divinâ credendam fidelibus suis proposuerit /: id eum posse contendunt Gallicani Theologi :/ ejus judicium etiam irreformabile erit, si ei Ecclesiæ consensus accesserit, prout patet; quo quàm absurda sint,

nemo non videt. Vid. Sæpè dictum opus nostrum c. 8. à pag. 295.

Quod Parisiensem Universitatem spectat, certum est, eam varios induisse vultus, pro rerum videlicet, et commodorum suorum ratione et circumstantiis, nemon editorum Regiorum varietate.

Porrò in quascumque demum partes se versent Gallicani Theologi, suam tamen opinionem ultrà Galliam, sæculumque decimum quintum protendere nunquam valébunt; prout patet ex monumentis et testimoniis, quæ præsenti §. pro nostrâ sententiâ adduximus.

Ob. 5.º Romani Pontifices subinde errare visi sunt etiam in quæstionibus fidei, ut qui interdùm inter se contraria definierint, et se ipsos esse errori obnoxios fassi sint.

Resp. Ubi Adversarii nostri horum exempla produxerint, etiam solidè ea refutabimus. Neque enim ullum Romanum Pontificem unquam adducere poterunt, qui Ex Cathedrâ, et velut Universalis Ecclesiæ Pastor et Doctor errorem toti Ecclesiæ proposuerit credendum; in quo totus quæstionis cardo vertitur. Et si alibi se errori obnoxios esse fassi sunt, non se tales fassi sunt esse, cùm Ex Cathedrâ loquuntur, sed cùm tanquam privati Doctores fortè opinionem aliquam proponunt, quod nihil facit contrà nos.

Hæc de infallibilitate Romanorum Pontificum dicta sufficiant. Plura si quis desiderat, consulere potest sæpè citatum Opus nostrum, in quo hanc quæstionem fusè, et eâ, prout arbitramur, solidita-

te tractavimus, ut non videamus, quid Gallicani Theologi illi, quibus Papæ auctoritas invidiosa admodùm esse videtur, ulteriùs contrà sententiam nostram in medium profere possint. Quin potiùs, postquam ibidem omnia prorsùs, quibus memorati Theologi nituntur, argumenta praclusis omnibus exceptionibus et responsionibus abundè dejecimus, non apparet, quid eis ultrò supersit, quàm ut, abjectâ errore, veritatem, quam tàm clarè ipsis ob oculos posuimus, agnoscant et amplectantur.

S. Quartus.

395.

An Summus Pontifex auctoritatem aliquam directam, vel indirectam in res temporales Principum à Christô Dominô acceperit?

Examinatâ et stabilitâ supremâ et infallibili Romani Pontificis prioribus SS. auctoritate circà res Ecclesiæ, modò venit dispiciendum, num etiam eidem aliqua auctoritas in res temporales Principum competat?

Etsi fuisse auctores aliquos dicat Bellarminus lib. 5. de Rom. Pontif. c. 1. qui tenerent, Romanum Pontificem habere directam, seu plenissimam in res Principum temporales potestatem, idque jure divinô et ex institutione Christi; attamen ipse hanc sententiam improbat, tueturque potestatem illam, quam in res temporales Principum habet Summus Pontifex, nonnisi indirectam esse, et in ordine ad spirituale duntaxat; in quantùm scilicet ex earum dominiô Principes Religioni, ad quam omnia dirigi debent, prodesse vel obesse possunt.

At alii Theologi, præcipuè autem Gallicani, Romani Pontificis magnam, aut, si mavis, summam equidem in Ecclesiam resque spirituales esse auctoritatem ultrò fatentur, at negant ei ullâ ratione in temporalia Principum competere potestatem seu auctoritatem.

426.

Quæstio igitur modò inter Theologos vertitur, nùm scilicet Summus Pontifex potestatem aliquam saltem indirectam obtineat in res temporales Principum, an verò omninò nullam. Primum, quantùm scimus, tuentur omnes totius Catholici Orbis Theologi, præter Gallicanos, qui totis viribus secundum propugnant in hoc tamen ridendi, quòd ineptè veliat, quæstionem hanc adeam, quæ §. præcedenti de auctoritate ejusdem Summi Pontificis in res fidei et morum tractavimus, omninò referri; cùm tamen apud omnes certum esse debeat, nullam omninò has inter duas quæstiones intercedere connexionem.

Nos ea, quæ hû utrimque adducuntur momenta, quasi per Epitomen referimus; de quorum proindè pondere et firmitate cujusvis judicium esto.

Momenta Sententiæ
Quâ Summis Pontificibus asseritur
indirecta saltem in temporalia
Principum potestas.

396

I. Paralip. 2. c. 26. Ozias Rex, quòd Sacerdotis officium usurpare tentasset, leprâ percussus Templô et regnô à Pontifice pellitur, Imperiumque filio ipsius traditur. Ibid. c. 23. et 4. Reg. c. 11. Jojada Pontifex Athaliam, quæ regnô injustè occupatô idolorum cultum invexerat, puniri jubet, et legitimum Regem solio restituit. Eccli 48. Hoc Eliæ Prophetæ elogium ponit Spiritus Sanctus: Quis potest similiter sic gloriari tibi? qui dejecisti Reges ad perniciem, et confregisti facilè potentiam ipsorum et gloriosos de lectô suô, qui inungis Reges ad poenitentiam ꝑ. 1. Cor. 6. Nescitis, inquit Apostolus, quoniam Angelos judicabimus, quantò magis sæcularia. Matth. 16. Quodcumque, inquit Christus Dominus Petro, ligaveris super teram erit ligatum et in Coelis. Joan. ult. Christus Dominus oves suas pascendas tradit Petro his verbis: Pasce agnos meos.

Matth. 18. v. 15. Idem Christus Dominus præcipit, ut frater, qui peccaverit, Ecclesiæ denuntietur; et si eam non audierit, habeatur ut Ethnicus et Publicanus. Amen dico vobis, subjungit idem divinus Magister, quæcumque alligaveritis super terram erunt ligata et in cœlo. Luc. 22. Præcipit idem Christus Dominus Apostolis, ut qui non habet gladium vendat tunicam et emat: et cùm Apostoli dixissent, Ecce duo gladii hic, respondit ipse, Satis est. His autem duobus gladiis intelliguntur bina potestatas Apostolis à Christo tradita, spiritualis nempè et temporalis p.

II. Ex factis et historiis exemplis. S. Ambrosius Theodosium Imperatorem ob cædem Thessalonicensium excommunicavit, deinde legem ferre coëgit, ne judicia lata de cæde vel bonorum publicatione rata essent, nisi post triginta dies à data Sententia die. S. Gregorius Magnus privilegium concessit Monasterio S. Medardi, quod habetur in fine Epistolarum ipsius, et in quo, Siquis, inquit, Regum, Antistitum, Judicum, vel quarumcumque Sæcularium personarum hujus Apostolicæ auctoritatis et nostræ præceptionis decreta violaverit, cujuscumque dignitatis vel sublimitatis sit, honore suo privetur. Gregorius II. Leoni Imperatori Iconomacho à se excommunicato prohibuit vectigalia solvi ab Italis, et proindè parte Imperii illum mulctavit. Zacharias rogatus à Primoribus Francorum Childericum Regem deposuit, et in ejus locum Pipinum Caroli Magni Patrem creari jussit Regem. Leo III. Imperium transtulit à Græis ad Germanos in personâ Caroli Magni, quem Roma an. Chr. 801. coronavit et innuit Imperatorem. Gregorius V. Sanctionem edidit de eligendo Imperatore per septem Germaniæ Principes, quæ usque in hanc diem observatur. Gregorius VII. Henricum IV. Imperatorem deposuit, et alium eligi jussit; quod et factum est. Plurimi subsequentes Romani Pontifices eam-

397.

dem potestatem in Imperatores, Reges, aliosque Principes exercuerunt, aut saltem exercere voluerunt, tùm in Conciliis, tùm extrà Concilia; prout adductis hanc in rem variis historia monumentis demonstrare conantur hujus Pontificia in res temporales Principum indirecta potestatis patroni; quæ videri possunt apud Eugenium Lombardum Regal. Sacerdot. Lib. 1. à §. 3. usque ad 15.

398. III. A ratione. 1º. Ex officiô Pastorali Petro ejusque Successoribus commissô per illa verba Joan. ult. Pasce oves meas. quatenus data est illis omnis potestas, quæ est necessaria ad gregem tuendum contrà lupos, ad separandas oves morbidas à sanis. Ergò et Reges, si hæretici sint, vel damnum inferant Ecclesiæ.

2º. Potestas civilis subjecta est potestati Spirituali, quando utraque est pars ejusdem Reipublicæ Christianæ. Ergo potest Princeps Spiritualis imperare Principibus temporalibus et disponere de rebus temporalibus in ordine ad bonum Spirituale. Omnis enim Superior imperare potest inferiori suo.

3º. Finis potestatis temporalis subordinatur fini Spirituali; quia felicitas temporalis non est absolutè ultimus finis, sed refertur ad felicitatem æternam. Ergò facultas temporalis seu facultas Regum subordinatur facultati Spirituali sive Sacerdotii.

4º. Respublica Ecclesiastica debet esse perfecta et sibi sufficiens ad finem suum. Ergò debet habere omnem potestatem necessariam ad finem suum consequendum. Atqui ad finem Spiritualem necessaria est potestas utendi et disponendi de temporalibus; quia aliàs possent mali Principes impunè fovere hæreticos, Religionem evertere. Ergò &c.

5º. Non licet Christianis tolerare Regem infidelem aut hæreticum, si ille conetur pertrahere subditos ad suam hæresin vel infide-

8. 190

litatem. atqui judicare an Rex pertrahat ad haeresim veene pertinet ad Pontificem, utpotè cui commissa est cura Religionis. Ergò Pontifici est judicare, Regem esse deponendum vel non.

6.º Quando Reges et Principes ad Ecclesiam veniunt, ut Christiani fiant, recipiuntur cum pactô expressô vel tacitô, quòd Sceptra sua Subjiciant Christo et polliceantur se Christi fidem servaturos et defensuros etiam sub poenâ perdendi Regni. Ergò &c.

7.º Ecclesia poenas temporales Fidelibus injungit: Sic v.g. Patres Nicani quosdam Arianos Episcopos in exilium olim amandârunt. Poenitentes etiam publicos jure Matrimonii, Magistratûs gerendi, arma ferendi, privabat. atqui jus idud aliundè sibi assumere non potest Ecclesia quàm ex potestate, quam à Christô accepit in res temporales hominum. Ergò.

Hac sunt praecipua argumenta, quo in sua sententia confirmationem adduunt Pontificia in res temporales Principum potestatis patroni. modò videndum, quibus momentis ii Theologi, qui contrariam tuentur opinionem, eandem fulire conentur.

I. Ex Scripturâ. 1.º Quia hac solius potestatis Spiritualis Ecclesiae ac Pontificibus concessa mentionem fait. Neque ipse Christus aliquam sibi in temporalia Principum arrogavit potestatem; imo reddendum, quod Caesaris est, Caesari praecepit. Nec tali auctoritate in Principes usi sunt Apostoli. 399.

2.º Quia Christus docuit nihil magis alienum esse ab Evangelii mente ac ministeriô Apostolicô, quàm Dominium et imperium terrorem incutiens: cùm enim vellent Apostoli ignē

à coelô in Samaritanos educere, eos prohibuit his verbis Luc. 9. v. 55. Nescitis cujus Spiritûs sitis, filius hominis non venit animas perdere sed salvare. Deindè prohibuit etiam, ne Discipuli gladiô materiali uterentur etiam in defensionem Religionis, Matth. 26. v. 52. Luc. 22. v. 49. Joan. 18. v. 10. Denique Luc. 22. v. 25. sic pronuntiat: Reges gentium dominantur eorum.... vos autem non sic. — 3º Quia docent Scripturæ Principes Sæculares suam à Deô acceptam habere potestatem, quæ proinde à nullo alio pendere potest; Prov. 8. v. 15. Daniel. 2. v. 37. et 38. Rom. 13. v. 1. 2. et 4. 1. Pet. 2. v. 13.

4º Quia Scripturæ docent à solo Deô ita concessa esse Principibus dominandi auctoritatem, ut abeo solo eâ spoliari possint; cujus exemplum habetur lib. 1. Reg. c. 24. in Davide respectu Saulis. 5º Denique, quia docent, Principes et Reges suâ etiam abutentes potestate patienter esse tolerandos, nec unquam quovis obtentu licere vi et armis illis resistere, etiamsi impii sint et infideles. aut etiam aliquos adeis resistendum sive directè sive indirectè impedere. Hujus exemplum habetur in Israëlitis sub servitute Pharaonis in Egyptô degentibus; undè nonnisi ideo permittente egressi sunt. Sub impiis Regibus Achaz et Manasse. Item in servitutem abduti jussi sunt à Dominô subditi esse Nabuchodonosor Regi, Jerem. 25. Cùm Assuerus editum tulisset de interficiendis Judæis, Mardochæus et alii ad preces et jejunia confugerunt, non ad arma et rebellionem, ut imminens mortis periculum evaderent.

In Novô Testamentô Matth. 22. jubet Christus reddi, quæ sunt Cæsaris, Cæsari, et quæ sunt Dei, Deo. Item Rom. 13. v. 7. Reddite, inquit Apostolus, omnibus debita; cui tributum, tributum; cui vectigal, vectigal; cui timorem, timorem; cui honorem, honorem. 1. Pet. c. 2. Jubet Apostolorum Princeps, Principes et Reges hono-

rare, nec esse resistendum Dominis etiam discolis. Item monet Apostolus Rom. 13. v. 5. ipsis obediendum esse non propter iram, sed propter conscientiam.

II. Ex SS: Patribus. 1º Quia docent SS: Patres, 400.
Principum potestatem esse immediatè à Deô. Ita Irenaus lib. 5. c. 24. Athenagoras in Apol. ad Imperatores. Justinus Apol. 2. Theophilus Alexandrinus ad Autolicum lib. 1. Dionysius Alexandrinus apud Euseb. lib. 7. Hist. c. 10. Tertullianus Apol. c. 30. et 32. Item lib. ad Scapulam c. 2. Optatus contrà Parmen. Super Imperatorem, inquit, non est, nisi solus Deus, qui fecit Imperatorem. Osius Cordubensis Episcopus Imperatorem Constantinum sic alloquebatur: Tibi Deus Imperium tradidit, nobis Ecclesia concreditur. Augustinus lib. 4. de Civ. c. 33. et lib. 5. c. 21. Non tribuamus, inquit, tanti Regni atque Imperii potestatem nisi Deo vero. Epiphanius Hæres. 40. n. 4. ait: Potestatem Saulam nonnisi à Deô gladium, quem ad vindicandum portat, habere. 2º Quia SS: Patres docent peccata Principum quoad poenas temporales solius Dei judicio subjacere. Clemens Alexandrinus lib. 4. Strom. Hieronymus Ep. 90. aliàs 46. ad Rusticum. Ambrosius in Apol. David, c. 10. Cassiodorus in Psal. 50. ajunt, Dixisse David Deo: tibi soli peccavi, quod nullis legibus nulli alteri, nisi soli Deo se subjectum sciret. Cyrillus Alexandrinus lib. 22. in Joan. impium pronuntiat, qui Regi dicit, iniquè agis. Gregorius Turonensis lib. 5. Hist. c. 19. ait, Neminem Regem justitiæ tramitem transgredientem præter eum, qui se dicit Justitiam, coripere posse. Isidorus Hispalensis lib. 3. Sentent. c. 50. ait, Reges solo Dei timore, metuque gehennæ coerceri posse. Cap. 49. dixerat, Deum dedisse Principibus Brasulatum pro regimine populorum, p. 3º Quia docent, Principibus etiam suâ potestate abutentibus obediendum esse, nec vi aut armis eis

4.194

obsistendum. Tertullianus lib. ad Scapulam c. 2. et Apol. c. 35. 36. et 37. ubi docet, non licere rebellione vi aut armis impiis obsistere Principibus. Idem docet Cyprianus Ep. ad Demetrian. quibus consentit S. Augustinus lib. 22. De Civ. c. 6. et in Psl. 124. ubi de Subjectione Christianorum Juliano Apostata sic loquitur: Distinguebant Dominum æternum à Dominô temporali, et tamen subditi erant propter Dominum æternum etiam Domino temporali. Et lib. 22. contrà Faustum c. 75. docet, Ad solos Reges pertinere judicare de justitiâ vel injustitiâ bellî, quod gerunt. p. S. Athanasius ad Monachos, Non gladiis, inquit, aut telis, non manu militum veritas prædicatur, sed suasione et consiliô. S. Ambrosius Serm. contrà Auxentium docet, Nonnisi lacrymis et orationibus obsistendum esse Imperatori injusta præcipienti. Et lib. 4. Epistolar. Ep. 32. idem repetit, atque ad Imperatorem pertinere palatia, ad Sacerdotes verò Ecclesiam.

S. Gregorius Nazianzenus orat. 1. in Julian. Dei benignitate, inquit, inhibitus atque repressus est, Christianorumque lacrymis, quas multas multi profuderunt; hoc unum adversus persecutorem medicamentum habentes.

4.° Quia SS: Patres docent, Ecclesiam carere omni gladiô materiali, et habere tantùm spiritualem, quo suos in Religionis officiis contineat, eo modô, quo Reges gladium duntaxat materialem habent; ita ut neutra potestas in alteram exurrere possit. Ita apertè docent, Origenes in hæc Christi verba, Mitte gladium in vaginam. Tertullianus lib. ad Scapulam. Lactantius lib. 5. Divin. Instit. c. 20. S. Ambrosius in Luc. lib. 10. n. 53.

Petro, inquit, duos gladios offerenti satis est dicis, Domine, quasi timerit usque ad Evangelium, ut sit in lege aquitatis eruditio, in Evangeliô bonitatis perfectio. S. Augustinus lib. 1. de fide et operibus c. 2. et S. Cypriamus Ep. 11. observant, in veteri quidem lege jussos esse Sacerdotes gladiô interficere eos, qui Judiciis à Deô constitutis obsequentes non erant; at in Ecclesiâ Christi locum non amplius esse gladio materiali, sed gladio excommunicationis duntaxat, et aliarum spiritualium poenarum.

S. Chrysostomus Hom. 4. de verb. Dom. apertè docet, Ecclesiam non habere potestatem temporalem in Reges et Principes; Sacerdotis, ait, inter alia est tantùm arguere, liberamque praestare admonitionem, non movere arma, non arcum tendere. De Osiô Cordubensi Episcopô jam supra dictum, Neque nobis, addit ibidem, igitur terra imperare licet.

III. Ex ipsis Summis Pontificibus, qui distinctam omnino esse utramque Pontificum et Regum potestatem, distinctosque planè utriusque fines et effectus asseverant. Gelasius Ep. 8. ad Anastasium Imperatorem, et Symmachus in Apolog. contra eundem dicunt, Imperatorem humana administrare, secundum quae et ipsi Antistites obedire debent. Gregorius Magnus lib. 3. Ep. Indictione 11. alias lib. 2. Ep. 62. Legem Mauritii Imperatoris de non profitendô vitam Monasticam, quamvis Deo contrariam promulgavit, Ex obedientiâ, inquit, quam Imperatori debebat. Gregorius II. Ep. 2. ad Isaurium Imperatorem, Quemadmodum, inquit, Pontifex introspiciendi in palatium potestatem non habet, ac dignitates regias deferendi sic neque Imperator. Nicolaus I. Ep. ad Michaelem Imperatorem eadem, quae Gelasius, verba usurpat. Innocentius III. Cap. Vene-

401.

rabilem. Qui filii sint legitimi. ait, Regem Francorum in temporalibus nullum agnoscere Superiorem.

Clemens V. Extrav. Mercit. revocavit Bullam Bonifacii VIII. Unam Sanctam. quâ Pontifex iste sibi asserebat potestatem in Principum temporalia. Addunt Pontifices illos, qui perfidos et hæreticos Principes patienter tulerunt, nec de illis deponendis minimè cogitârunt. Liberius sustinuit Julianum Apostatam, Constantium Arianum. Damasus Valentem Arianum. Felix III. Zenonem Eutychianum. Symmachus Anastasium hæreticis apertè faventem. Joannes I. Theodericum Gothorum Regem Arianum. Agapetus Theodatum pariter Gothorum Regem Arianum. Sylverius Justinianum, à quo sede suâ dejectus, et in exilium amandatus fuit. Denique Martinus I. hanc potestatem in temporalia Principum ignorasse videtur, qui in exilium quoque ejectus à Constante Imperatore Monathelitâ, circà illud exilium mensuam aperuit Ep. ad Theodor. his verbis: Quòd autem præparati non fuerimus ad repugnandum, meliùs judicavi decies mori, quàm uniuscujuscumque sanguinem in terram fundi.

402. IV. Ex Illustrioribus Ecclesiis. Tota Germanica Ecclesia obstupuit et ingemuit ad tentatam à Gregoriô VII. Imperatoris Henrici depositionem, cujus exempli nullum in retroactis temporibus extaret vestigium. Ita testantur Otto Frisingensis in fragmentô, quod extat in fasciculô rerum Sciendarum, et lib. 6. Chronici c. 35. Onuphrius Panvinius in vitâ Gregorii VII. Aventinus lib. 5. Annalium Bojorum. Conradus Episcopus Trajectensis in Oratione pro Henricô habitâ in conventu Gerstengensi an. 1085. Eberhardus Archi=Episcopus Salisburgensis in Oratione de Hildebrandô recitatâ in comitiis Ratisbonensibus sub Fridericô II. Ipseque Gregorius VII. lib. 7. Ep. 3. Quotquot, inquit, Latini sunt, omnes causam Henrici præter admodùm paucos, laudant ac defendunt, et pernimiæ

duritiæ ac impietatis circà eum me arguunt. Ecclesia Gallicana, cùm Innocentius III. cogere vellet Philippum Augustum, ut arma poneret, quæ adversùs Joannem Angliæ Regem sumpserat, ei comminatus excommunicationem et totius Regni interdictionem, decrevit, ut omnes firmi in obedientia Regis persisterent, utque Rex, posthabitis in causâ merè temporali Papæ minis, ad futurum provocaret Concilium, quod et factum est. Idem factum, cùm an. 1302. Bonifacius VIII. sibi potestatem arrogasset abdicandi Regem. Idem iterùm præstitum in Conciliô Turonensi an. 1510. adversùs Julium II. qui contrà Ludovicum XII. Hispanos, Anglos, Germanos, Helvetios ad arma concitaverat, Bullamque promulgaverat, quâ eum excommunicabat, jusque Regni ipsi abdicabat, illudque prædæ objiciebat. ꝓꝓ. Ecclesia Anglicana neque hanc potestatem in Romanis Pontificibus agnovisse videtur. Ut enim refert Trivetus in Chronicô ad an. 1301. Angliæ Proceres ad Bonifacium VIII. scripserunt, Ipsorum Regem super juribus Regni Scotiæ aut aliis juribus temporalibus non teneri respondere judicialiter coram eo, nec quoquo modô judicium ejus subire. Cùm etiam Paulus III. an. 1538. sententiam depositionis adversùs Henricum VIII. pronuntiasset, intentatum fulmen istud omnes Angli non attenderunt; atque in Soliô semper sedit Henricus, et velut Rex legitimus tàm à suis, quàm ab exteris habitus est. ꝓꝓ. Nec Ecclesia Hispanica hanc potestatem agnovit. Concilium enim Toletanum sub Honoriô Papa et Gisenandô Hispaniarum Rege an. 633. celebratum, et cui intererant Episcopi 62. Can. 75. anathemate percellit et ab Ecclesiâ Catholicâ extraneum pronuntiat eum, qui Sacramentum fidei Regi præstitum violaverit, Regem nece attrectaverit, aut potestate Regni exuerit, aut Regnum usurpaverit. An. 1580. Cùm Philippus Hispaniarum Rex, mortuô Sebastianô Lusitaniæ Rege, Regnum istud sibi assereret, Pan-

lus IV. autem litem hanc de Successione in Regnum istud in suô Tribunali dijudicandam fore contenderet, consulti denuper à Philippô omnes totius Hispaniæ illustriores Theologi responderunt, nullas esse in hoc negotiô Pontificis partes, cùm res foret meri soli, nec quidquam admixtum haberet, cujus respectu Pontificii fori interedere deberet auctoritas; Nam, inquiebant, electis semel Regibus, iis et in eos eorumque Successores omne jus translatum intelligitur, ut penes ipsos omnis sit jurisdictio, nec ab alijs judicari possint.

403. V. Ex rationibus Theologicis. 1º Quia nec ex Scripturâ, nec ex Traditione Apostolicâ constat, talem potestatem fuisse à Christô Summis Pontificibus concessam. 2º Quia Christus non abstulit, neque aufert Regna iis, quorum erant, et sunt: Nam Christus non venit destruere ea, quæ se benè habebant, sed perficere. Ergò quando Rex aliquis fit Christianus non amittit Regnum terrenum, quod jure obtinebat, sed acquirit novum jus ad Regnum æternum: alioquin Regibus obesset Christi beneficium, et gratia naturam destrueret. Id tamen fieret, si Summus Pontifex in illud jus et potestatem aliquam acquireret. Ergò p. 3º Quia si Papa est Dominus totius orbis Christiani, tunc etiam singuli Episcopi sunt Principes temporales in Oppidis suo Episcopatui subjectis, siquidem id, quod est Papa in universâ Ecclesiâ, quilibet Episcopus est in particulari suâ Ecclesiâ. Atqui Episcopos esse Dominos urbium et oppidorum, quorum sunt Episcopi, apertè falsum est. Ergò p. 4º Quia opinio, quæ tàm directam quàm indirectam agnoscit in Pontificibus auctoritatem in temporalia Regum planè nova videtur, et ante Sæculum XI. in Ecclesiâ Dei inaudita; neque Gregorius VII. antiquiores se patronos habet. 5º Quia hac opinio multa incommoda, absurda, imò gravia pericula secum trahit: Nam 1º æternum odium ac discordiam creat inter Pontifices et Reges, qui non immeritò sibi timendum semper exis-

timabunt ab alicujus Pontificis, cui fortè non placebunt, ambitione, odio, et irâ. 2º. Pejor esset conditio Principis Christiani et Catholici, quàm Ethnici et Haretici, isti enim Solum Deum Superiorem habent, ille preterea Summum Pontificem. 3º. Hac opinio retrahit Principes Ethnicos et Haereticos ab amplectendâ verâ Religione, ex quâ ut potè timere poterunt imminuendam fore suam autoritatem.

4º. Apta videtur ad fovendas Seditiones et rebelliones Subditorum adversus legitimum Principem suum, ut qui autoritate Summi Pontificis freti variis criminibus eum falsò apud illum denuntiare possent, ut sic, quia fortè illius pertasi essent, principatu emeveretur. 5º. Quia nunquam Pontifices autoritate istâ uti præsumpserunt, quin inde innumera in Catholica Religionis et tranquillitatis publica præjudicium mala et scandala secuta sint; prout ex variis historia monumentis habetur. 6º. Denique Lutheranis et Calvinistis nostræ ætatis Novatoribus maximo offendiculo est hac opinio, ut quam nobis continuò objiciant.

Finis.

4.194

7.197

8. 198 438. 404.

Prolusio
Ad Theses ex Tractatu de Ecclesiâ
Selectas, et publicæ Disputatio-
ni expositas 16. Sept. an. 1745.

Expensis primis duobus Locis Theologicis de S. Scripturâ nempe et Traditione, orto adhuc nobis, juxtà Statutum numerum explicandâ superverant, scilicet de Ecclesiâ, Conciliis, Romanô Pontifice, SS: Patribus, Historiæ Ecclesiasticæ, et profanæ Scriptoribus, Theologis Scholasticis, Juris Pontificii et Cæsarei peritis, Philosophis denique seu Ratione humanâ; quibus etiam, Deô favente, satis, ut arbitramur, feliciter finem imposuimus; adeoque et integrum, amplum licèt, primum nostræ Theologiæ universalis Tomum absolvimus. Ex iis autem Locis Theologicis, qui sunt de Ecclesiâ, Conciliis, et Romanô Pontifice solummodò præsentes selegimus Theses, quas et publicæ Disputationi exponimus. Ea enim quæ de reliquis locis Theologicis tradi solent multi alterationi obnoxia videntur. Sanè quæ Protestantes inter et Nos Catholicos SS: Ecclesiæ Patribus, eorumque auctoritate disputantur ad Tractatum de Traditione Sacrâ referuntur, ubi et ea sufficienter exposuimus. Explicatâ igitur horum locorum naturâ, circà eorumdem auctoritatem certas dumtaxat regulas tradidimus, quas servare debeat Theologus, cùm subilorum præsidiô sententiam quamdam firmare ei est animus. Cui labori nostro, sat profectò, si temporis, quod nobis ad illum suppetivit, angustiæ considerentur, magno si favere dignemini Auditores spectatissimi suis quique decorandi titulis, id omnis præmii ac pretii locô reputabimus. Modò ad ipsas Theses p.

Theses Selectæ
Ex Tractatu de Ecclesiâ.

De
Nomine et naturâ Ecclesiæ.

I.

Ecclesia nomen Græcum idem significat ac evocationem seu convocationem, sicque quilibet Conventus sive bonorum, sive malorum Ecclesia nuncupari potest: at, usu apud Christianos receptô, Ecclesia idem est, ac Fidelium Societas. Cùm autem triplicis generis hujusmodi Fidelium Societas esse dignoscatur, etiam à Theologis triplex statuitur Ecclesia, Triumphans nempè seu Comprehensorum, idest, eorum, qui in Coelô æternâ beatitudine jam fruuntur; Militans, seu Viatorum, eorum nempè, qui hîc in terris adhuc militant; et denique Patiens, seu Purgantium, eorum videlicet, qui post hanc vitam in poenis purgatorii aliquamdiu detinentur, ut justitiæ divinæ satisfaciant. De solâ militante hîc nobis sermo est, eamque, non quidem secundùm suam animam, sed secundùm corpus suum dumtaxat spectatam definimus, quòd sit Coetus hominum unius fidei professione, eorumdemque Sacramentorum communione conjunctus sub regimine legitimorum Pastorum, præcipuè autem Romani Pontificis.

Z.

Solus Deus est Auctor Ecclesiæ potestate Independentiæ. Solus Christus Dominus potestate Excedentiæ, et Ministerii principalis; undè meritò non tantùm Dei, sed communiter Christi Ecclesia nuncupatur; quæ ita etiamnùm jam tempore legis naturæ floruit, ut tunc veros extitisse Christianæ Religionis cultores verè asseri possit. atque probabiliter hæc Ecclesia in Abel sumpsit initium.

diese alles was folget, soll nicht gedruckt werden.

De Notis veræ Ecclesiæ Christi, necnon idem regimine et membris.

3.

Cùm apud omnes, qui Christianô nomine utuntur, extrà veram Christi Ecclesiam nulla sit speranda salus, apprimè cuilibet convenit rescire, ubi vera illa Christi Ecclesia sit. Ad hanc autem cognitionem non perveniturr, nisi certarum quarundam notarum et characterum adminiculô, quæ Notæ non modò ipsâ Ecclesiâ notiores esse debent, sed et ei ita propriæ, ut saltem simul sumptæ nulli alteri convenire possint Societati; ita claræ et obviæ, necnon cognitu faciles, ut eidem credibilitatis, ut ajunt, evidentiam tribuant. Hujusmodi autem veræ Christi Ecclesiæ Notas seu characteres septem assignamus; adeoque vera Christi Ecclesia debet esse 1º Una, 2º Sancta, 3º Catholica, 4º Apostolica, 5º Romana, 6º Visibilis, et 7º denique Indefectibilis. Quas notas soli Ecclesiæ Catholicæ convenire tuemur, adeoque ipsam solam esse veram Christi Ecclesiam; undè Protestantium et Acatholicorum Societates à verâ Christi Ecclesiâ excludi debere contendimus.

4.

Regimen Ecclesiæ nec Democraticum, nec Aristocraticum est, sed Monarchicum Aristocratiâ temperatum.

5.

Nec ex omnibus, nec ex solis prædestinatis, nec ex solis justis constat Ecclesia, sed admixtos habet reprobatos et peccatores. Ab eâ tamen excludunturr Infideles et Hæretici publici ac manifesti, quemadmodùm et Schismatici. Neque etiam Excommunicati et Catechumeni verè dici possunt Ecclesiæ membra. Hæretici tamen occulti sunt in Ecclesiâ sed imperfectè duntaxat, et quoad corpus tantùm, seu partem ejus visibilem et externam.

De Conciliis.

6.

Concilium genericè definitur Prælatorum Ecclesiæ congregatio ad fidei controversias definiendas, vel fidelium mores reformandos à Legitimô Capite convocata. Alia sunt Provincialia, ad quæ scilicet conveniunt unius provinciæ Episcopi à suô Archi=Episcopô vocati: Alia Nationalia, ad quæ unius Regni aut Nationis Episcopi et Archi=Episcopi à suô Primate vocati congregantur: Alia denique Generalia, seu, ut Græci vocant, Oecumenica, ad quæ totius orbis Episcopi et Præsules à Summô Pontifice invitati conveniunt; et in quibus ipse vel per se, vel per suos Legatos præsidet. Sunt in rebus fidei et morum supremi et infallibiles Judices.

De Romanô Pontifice.

Romanus Pontifex Christi in terris Vicarius, S. Petri Apostolorum Principis in Ecclesia primatu Successor, non modò primatum honoris et jurisdictionis supra cæteros totius Orbis Catholici Episcopos obtinet; sed et supremam et infallibilem in rebus fidei et morum decernendis potestatem habet.

O. A. M. D. G.

442

BLB BADISCHE LANDESBIBLIOTHEK
gefördert durch Baden-Württemberg
MINISTERIUM FÜR WISSENSCHAFT, FORSCHUNG UND KUNST